

Commentary on the Sentences: Book IV, Question un., Article 1, part 1

edited by Paul Bakker and Chris Schabel.

(paragraphs 1-55 edited by Paul J.J.M. Bakker from Vat. lat. 1081, 1-16 checked against Paris, BNF, nouv. acq. 1467 (olim Cluny 75) (pars 17-55 collated by Chris Schabel against Sarnano, Bibl. comunale E 89) (in Part I, Vat. lat. 1081 has large omissions of 23 and 28 words); paragraphs 55-60 edited by Chris Schabel from Vat. lat. 1081 (and collated against Sarnano 89))

[1] Circa materiam quarti *Sententiarum* quaero istam quaestionem: utrum eucharistia sit sacramentum ex institutione divina corpus et sanguinem Christi signans veraciter sub speciebus panis et vini realiter contineri.

[2] Et arguo quod non tribus mediis. Et primo sic: omne sacramentum est verum signum; sed eucharistia non est verum signum; ergo non est sacramentum. Et per consequens quaestio falsa. Consequentia et maior patent. Sed minor probatur quoniam in omni sacramento concurrunt duo tanquam partes essentielles, videlicet materia et forma, et forma communiter est aliqua propositio vera, sicut patet in baptismo et aliis sacramentis: si igitur eucharistia esset sacramentum, ibi esset materia et forma verborum; [265ra] sed ibi forma verborum quae communiter assignatur non est vera; ergo nec illud est signum verum. Consequentia patet. Sed minor declaratur, nam ista forma communiter assignatur in consecratione panis “hoc est corpus meum”; sed haec propositio est falsa; ergo propositum. Probatur minor, quia sicut istud pronomen ‘ego’ significat illum qui loquitur, cum dicit ‘ego dico vobis’, ita istud pronomen possessivum ‘meum’ significat illum qui loquitur, <cum dicit> “hoc est corpus meum.” Et per consequens, cum sacerdos profert illam propositionem, nihil aliud significat ille terminus “meum” nisi corpus sacerdotis. Et per li ‘hoc’ demonstratur corpus Christi. Ergo per illam propositionem “hoc est corpus meum” denotatur quod corpus Christi sit corpus sacerdotis. Sed constat quod illa propositio est falsa. Ergo et sibi aequivalens. Et per consequens haec est falsa: “hoc est corpus meum.” Quod est propositum. Nam ex hoc quod habetur quod eucharistia non est verum signum, et ita per consequens quod non est sacramentum, quod est principale intentum. [\[1\]](#)

[3] Praeterea, corpus Christi non continetur sub illis speciebus, videlicet panis et vini, ergo quaestio falsa. Consequentia patet, quia hoc in quaestione supponitur. Et antecedens probatur, quia si corpus Christi esset sub illis speciebus, aut esset ibi quantum aut non-quantum; sed neutrum potest dari; ergo sequitur quod nullo modo est ibi. Consequentia et maior patent. Sed proba minorem. Quod ibi non possit esse non-quantum proba: quia ubicumque est aliquod subiectum, ibi est et propria passio, sicut ubicumque est homo, ibi est risibile; sed passio corporis quod est de genere substantiae est quantitas; ergo ubicumque est corpus, ibi est quantum. Et ita non staret corpus Christi esse alicubi et ibi esse non-quantum, quod est propositum. Similiter quod non possit ibi esse quantum probatur, quia omne quod est in alio quantitative exceditur ab eo, vel saltem est sibi aequale, ut patet de loco et locato, et aliis

continentibus; sed constat quod species panis et vini sunt minoris quantitatis quam sit pes corporis Christi; ergo numquam corpus Christi poterit sub illis speciebus contineri. Vel aliter oporteret dici quod in eodem loco esset pes in quo esset caput, et sic per consequens caput esset in pede, et manus in capite; quae videntur absurda. Quare propositum.

[4] Praeterea, nullum corpus potest esse in duobus locis non communicantibus; sed corpus Christi est in caelo; ergo corpus Christi sub speciebus panis et vini minime continetur. et per consequens quaestio falsa. Consequentia patet. Et minor est beati Augustini, ut habetur quarto *Sententiarum*, distinctione decima: {2} “donec finiatur saeculum, sursum est Dominus.” Sed maiorem probo, quoniam impossibile est contradictoria de eodem verificari; sed posito quod unum corpus sit in diversis locis, hoc sequitur; ergo propositum. Probatur minor, quia tunc staret quod in uno loco esset calidum et in alio frigidum per applicationem diversorum agentium, frigiditatis videlicet et caliditatis; et per consequens simul et semel esset calidum et frigidum; [265rb] et ita per consequens simul et semel esset frigidum et non frigidum, calidum et non calidum. Et consequentia patet, quia semper ex contrariis sequuntur contradictoria, cum ex omni oppositione inferatur contradictio. Quare propositum.

[5] Ad oppositum et pro veritate quaestionis est textus sacrae Scripturae, Matthaei 26<26-29>, ubi dicitur quod, “cenantibus autem illis, accepit Ihesus panem et benedixit ac fregit deditque discipulis suis et ait: ‘Accipite et comedite, hoc est corpus meum’; et accipiens calicem gratias egit et dedit illis dicens: ‘Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum’.” Quare propositum.

<Divisio quaestionis>

[6] Pro decisione istius quaestionis iuxta materiam trium argumentorum ad quaestionis oppositum adductorum tres erunt articuli pertractandi. Quorum primus iuxta materiam primi argumenti erit iste: utrum aliqua forma verborum a Christo fuerit instituta cuius efficacia substantia panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi totaliter convertatur. Secundus articulus iuxta materiam secundi argumenti erit iste: utrum corpus Dominicum sub speciebus panis et vini contineatur realiter secundum quamlibet condicionem propriae quantitatis. Tertius articulus iuxta tertii argumenti materiam erit iste: utrum corpus Dominicum virtute sacramentalis efficaciae relinquat locum quem occupat in caelestium regione.

<PARS PRIMA>

<Conclusiones decem>

[8] Quantum igitur ad primum **decem pono conclusiones**. Quarum **prima** est haec: forma consecrandi sacramentum eucharistiae existit signum sensibile cadens sub obiecto adaequato potentiae auditivae. Ista conclusio ponitur contra imaginationem Innocentii, qui ponit quod in benedictione consistit consecratio. Unde imaginatur quod Christus, cum accepisset panem et benedixisset, statim in signo benedictionis facta fuit transsubstantiatio panis in corpus suum. Et consequenter tradidit apostolis, dicens: “accipite et comedite, hoc est corpus meum.” Et

secundum hoc apparet quod sua imaginatio fuit quod forma consecrandi non cadebat sub obiecto potentiae auditivae, ut manifeste apparet *De officio misse*, parte tertia, capitulis sexto et quarto decimo. [\[3\]](#)

[9] Contra quam positionem et pro conclusione mea arguo primo sic: non minoris perfectionis est sacramentum eucharistiae quam sint cetera sacramenta; sed omnium aliorum sacramentorum forma consistit in verbis; ergo et istius sacramenti. Consequentia patet, quia etiam in aliis sacramentis fiunt benedictiones, quae non sufficiunt ad formam sacramenti; ergo a fortiori nec in isto [265va] sacramento, cum sit perfectius, sufficiet sola benedictio manualis. Et per consequens requiritur verbum cum debita intentione prolatum, sicut et in ceteris sacramentis. Et maior principaliter sumpta clara est. Minor vero apparet discurrendo per singula sacramenta. Quare propositum. Et confirmatur ratio: si de quo magis videtur inesse, et non inest, nec de quo minus; sed magis videtur quod benedictio manualis sufficiat ad sacramentum quod minus est, et ibi non sufficit; ergo a fortiori nec sufficiet ad sacramentum quod maius est. Et ita apparet quod forma huius sacramenti cadit sub obiecto adaequato potentiae auditivae. Quod est propositum.

[10] Praeterea, illa forma est congruentior sacramento eucharistiae quae magis est expressiva proprietatis verbi quam quae non; sed clarum est quod verbum vocale est magis expressivum verbi mentalis quam quodcumque aliud signum sensibile, iuxta illud Philosophi, in libro *Periarmenias*: [\[4\]](#) “voces sunt notae earum quae sunt in anima passionum”; ergo videtur quod in sacramento eucharistiae, per quod nobis manifestatur verbi Divini dulcedo, magis debet esse forma per verbum vocale quam per quodcumque aliud signum, et per consequens quam per signum benedictionis manualis.

[11] Et in hoc apparet misterium quare omnium sacramentorum formae consistunt in verbis cum debita intentione prolatis.

[12] **Secunda conclusio** est haec: forma consecrandi corpus Dominicum consistit in his verbis totaliter “hoc est corpus meum” prolatis cum intentione debita ab ecclesiastico sacerdote. Ista conclusio ponitur contra imaginationem magistri Landulphi, cuius oppositum dicit quarto *Sententiarum*, distinctione octava, quaestione tertia, [\[5\]](#) ubi dicit pro prima conclusione quod, dicendo “hoc est corpus meum” praecise, sine verbis praecedentibus, nihil fieret.

[13] Contra cuius positionem et pro conclusione mea arguo sic: capto toto isto sermone “accepit Ihesus panem et benedixit, fregit deditque discipulis suis dicens ‘accipite et comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem’,” constat quod nulla est inter istas propositiones propositio exprimens existentiam corporis Christi nisi ista: “hoc est corpus meum.” Cum igitur forma consecrationis non consistat in signo benedictionis, sed in verbis, non videtur, ex quo consistit in aliqua propositione infra totum illum sermonem contenta, quod in aliquo consistat rationabiliter nisi in ista: “hoc est corpus meum.”

[14] Sed forsitan hic dicitur, sicut dicit Doctor Subtilis, quod non est nobis certitudinaliter traditum si tota illa sit forma consecrandi vel non; et ideo ex isto dicto posset quis dicere quod non consistit praecise in verbis istis: “hoc est corpus meum,” vel saltem est dubium.

[15] Contra: sicut in uno sacramento est certa forma verborum, sic debet esse in quolibet; sed certum est quod in sacramento baptismi certitudinaliter tenemus quod ista est forma: “ego [265vb] te baptizo in nomine patris” etc.; ergo sic debet esse in sacramento eucharistiae. Quod

confirmo, nam si est aliqua certa forma verborum, et ignoratur, tunc sacerdos non magis haberet devotionem ad formam veram quam ad propositionem impertinentem. Quod non videtur rationabile. Debet enim sacerdos scire certitudinaliter in quibus verbis consistit consecratio, ut sua devotio amplius inflammetur. Et istud apparet ex consuetudine celebrantium, qui, cum perveniunt ad illa verba “hoc est corpus meum,” cum maiori devotione illam orationem exprimunt quam omnia praecedentia, ut apparet in verborum larga pronuntiatione, capitis inclinatione, vocis aspiratione, et aliis signis devotionem monstrantibus. Cum igitur non sit pie imaginandum quod tam generalis consuetudo Ecclesiae sit in errore, sequitur quod in illis verbis forma consecrandi corpus dominicum integraliter continetur. Quare propositum.

[16] Praeterea, istud videtur de intentione domini papae, *Extra, De celebratione*, capitulo “cum Marthe,” ubi dicitur: [\[6\]](#) “credimus quod formam verborum sicut in canone reperitur (et loquitur de istis verbis “hoc est enim corpus meum,” quantum pertinent ad corpus) et a Christo apostoli et ab ipsis eorum acceperint successores.” Ex quibus manifeste colligitur propositum. Et certe consonum est rationi ut homo sciat quando verba efficacia et operativa incipiunt, et quando similiter finiunt, propter maiorem reverentiam sacramenti.

[17] **Tertia conclusio** est haec: forma consecrandi dominicum calicem consistit in his verbis integraliter “hic est calix sanguinis mei” prolatis cum intentione debita ab ecclesiastico sacerdote. Ista conclusio apparet, sicut et praecedens, licet aliqui dubitent propter verba quae consequuntur, videlicet connexionem indicantia ut relativum et genitivus casus, videlicet “novi et aeterni testamenti, qui pro vobis” etc. Sed istud motivum non est sufficiens, ex quo sensus praemissae propositionis est completus. Sic etiam possem addere: “qui fuit sanguis immaculatus,” et sic de multis veritatibus quae possunt exprimi de Christi sanguine, quae nihil addunt vel minuunt ad formam debitam consecrandi.

[18] **Quarta conclusio** est haec: propositio exprimens consecrationem dominici corporis non est operativa sacramentaliter prout existit propositionis sumptae communiter portio subiectiva. Volo dicere quod haec propositio “hoc est corpus meum” non est effectiva prout est propositio. Ista conclusio sic intellecta probatur: constat secundum omnes theologos quod in fine prolationis istorum verborum “hoc est corpus meum” et similium transsubstantiatur panis in corpus Christi; sed constat quod in illo instanti propositio illa est vera, et tunc tantum significat sicut quod corpus Christi est corpus Christi; sed quia [\[7\]](#) ista non est operativa ratione suae veritatis, sequitur quod nec illa, et per consequens ex hoc quod vera non habet quod transsubstantiet [\[266ra\]](#) panem in corpus Christi. Nec ex hoc quod falsa a fortiori, quia nulla falsitas est sacramentis attribuenda. Si ergo nec ut vera nec ut falsa est operativa, et necessario altera istarum condicionum competit propositioni ex sua definitione (nam propositio est oratio verum vel falsum significans, vel vere vel false significans, propter puerilem objectionem), sequitur quod ipsa non est operativa sub ratione qua est propositio, et per consequens nec sub ratione qua est propositio vera.

[19] Praeterea, quaelibet propositio vera de praesenti mere cathégorica praesupponit tempore vel natura suum significatum, sicut dicit communis auctoritas: [\[8\]](#) “ab eo quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa”; sed pro nullo instanti ante finem prolationis haec propositio est vera “hoc est corpus meum” nisi demonstretur corpus Christi, nec etiam post; ergo sequitur quod pro quocumque instanti illa propositio est vera, pro eodem praesupponit suum significatum. Non ergo eo quod vera habet quod sit operativa, cum illud sit suum significatum. Et consimiliter, ut prius deducebatur, nec ex eo quod falsa habet quod sit operativa a fortiori. Nec potest dici quod sit neutra, ut videtur dicere Doctor Subtilis, [\[9\]](#) quia

non stat quod sit propositio et sit neutra, hoc est quod nec sit vera nec etiam falsa, nisi quis vellet dare illam frivolam responsionem quorundam dicentium {10} quod omne insolubile est propositio vera vel falsa, nullum tamen insolubile est propositio vera nec aliquod insolubile est propositio falsa. Quod etiam in proposito non habet locum, quia ista propositio “hoc est corpus meum” non est propositio insolubilis, et per consequens apparet quod non eo quod propositio est operativa, quod est propositum. {11}

[20] **Quinta conclusio** est haec: propositio exprimens consecrationem huiusmodi non ut haec propositio vel qualitas per se sumpta est operativa sacramentaliter illius quod figurat. Ista conclusio sic probatur, nam possibile est quod eadem propositio vocalis a duobus proferatur, quorum unus sit sacerdos et alius non, quia Deus potest illam vocem multiplicare, ut communiter tenent theologi; et tunc, si ista propositio “hoc est corpus meum” ut est haec propositio vel quaedam qualitas haberet quod esset efficax ad transsubstantiandum panem in corpus Christi, sequitur quod, sive laicus illam proferret sive sacerdos, quod non minus consecraret; quod falsum est, quia solus sacerdos est huius sacramenti minister. Quare propositum.

[21] Praeterea, signo duas propositiones singulares, istas videlicet “hoc est corpus meum,” “hoc est corpus meum,” quarum unam proferat sacerdos et aliam laicus. Constat quod utraque est vera, demonstrando corpus Christi; et tamen una est operativa et alia non, et per consequens propositioni a sacerdote prolatae non competit eo quod propositio singularis et vera quod sit operativa, quia sic etiam competeret alteri propositioni, quod falsum est. Et igitur aliunde sibi competit quod sit operativa quam a ratione suae singularitatis vel veritatis, vel etiam sub ratione qua est quaedam qualitas. Quare propositum.

[22] **Sexta conclusio** est haec: prius natura vel tempore propositio formam consecrationis exprimens est operativa sacramentaliter quam sit veritatis indicativa. Ista conclusio sic probatur: nihil posterius efficit [266rb] suum prius, sed potius oppositum saepissime accidit; sed propositio vera posterior est suo significato, saltem natura; ergo propositum. Consequentia et maior patent. Et minor, quia veritas propositionis dependet a suo significato, sicut et scientia dependet a scibili, quia, ut prius dictum est, “ab eo quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa”; {12} et igitur propositio praesupponit suum significatum. Cum igitur significatum istius propositionis “hoc est corpus meum” sit quod hoc est corpus Christi, sequitur quod illa propositio ut vera non est ipsius operativa, sed potius praesupponit illud significatum. Et ita apparet quod per prius est sacramentaliter operativa quam sit veritatis indicativa. Quod est propositum.

[23] **Septima conclusio** est haec: propositio exprimens consecrationem huiusmodi non est operativa sacramentaliter in relatione ad sacerdotem ut ipsam actualiter proferentem. Ista conclusio sic probatur: quandocumque illa propositio profertur, nondum prolata est, et per consequens nondum est signum sacramentale; et ita apparet quod per relationem huiusmodi non diceretur talis propositio operativa — aliter, si sacerdos diceret “hoc est corpus,” consecraret, quod non videtur verum, cum illae quatuor dictiones saltem ad formam consecrandi necessario requirantur, ut prius dictum est. {13} Quare propositum.

[24] **Octava conclusio** est haec: propositio formam consecrationis exprimens est operativa sacramentaliter in instanti prolationis ultimae per relationem ad sacerdotem ecclesiasticum intensionem debitam sanctae matris Ecclesiae profitentem. Ista propositio sic probatur: quodlibet quod non aliter quam ex pactione divina est institutum ad significandum aliquid numquam significat illud nisi apposis conditionibus quae requiruntur ex pactione divina; sed

haec propositio “hoc est corpus meum” non habet ex sua natura quod sit sacramentaliter operativa, sed per relationem ad sacerdotem habentem intentionem debitam consecrandi Deus instituit istud signum esse pronosticum; ergo sequitur quod forma consecrationis habet relationes annexas ex pactione divina ad sacerdotem debite consecrantem. Et minor apparet, quia apostoli sic tradiderunt Ecclesiae, et ipsi similiter in cena potestatem huiusmodi receperunt. Quare propositum.

[25] **Nona conclusio** est haec: virtus operativa sacramentaliter principaliter sacerdotem respicit quam verba vocaliter prolata. Ista conclusio sic probatur: quodcumque ad aliquem effectum concurrunt plura instrumentaliter secundum perfectionem differentia, potius exigitur quod perfectius est quam illud quod est minus perfectum, sicut patet in manu et penna, quae concurrunt instrumentaliter ad scripturam, quod potius concurrit manus quam penna, pro eo quod perfectior; et sicut etiam apparet in novacula et manu barbitonsoris; et sic de aliis. Cum igitur ad transsubstantiationem concurrant sacerdos debite intendens et verba, et hoc instrumentaliter, quia ambo sunt instrumentum Dei, et sacerdos perfectior est verbis prolatis, sequitur quod condicio instrumentaliter operativa potius respicit sacerdotem quam verba.

[26] Praeterea, illud se habet principaliter in aliqua operatione quod invariabiliter se habet quam illud quod non sic invariabiliter se habet; sed constat quod sacerdos ratione characteris sacerdotalis permanentemente se habet, et non variabiliter, sed verba sunt transeuntia, quoniam idem sacerdos sine variatione characteris est instrumentum respectu diversarum missarum, in quibus fit diversorum panum transsubstantiatio; et tamen non sunt eadem verba numero, sed diversa; ergo videtur quod sacerdos principaliter se habet in quacumque consecratione quam ipsa verba, quae non sunt permanentia, sed potius successiva.

[27] **Decima et ultima conclusio** est haec: forma consecrandi corpus Dominicum est operativa sacramentaliter sine forma consecrandi Dominicum calicem et e contra. Ista conclusio sic probatur, quoniam si una forma non esset sine alia operativa, sequeretur quod sacerdos ante consecrationem calicis falsum diceret, cum dicit “hoc est corpus meum,” quia tunc vel demonstraretur corpus Christi vel non. Si sic, habetur principale intentum quod una forma sine alia est operativa. Si non, sequitur quod illa propositio quam dicit sacerdos est falsa, quod erat probandum. Quare propositum.

[28] Praeterea, dato conclusionis contradictorio, sequitur quod tota Ecclesia idolatraret. Consequens est falsum; ergo et antecedens. Et consequentia probatur, quoniam ante consecrationem calicis sacerdos elevat accidentia panis; si ergo corpus Christi non esset ibi realiter contentum, et sic tota Ecclesia adoraret, sequitur quod idolatraret. Et quod e contra sit possibile apparet, quia non plus necessario praeexigit consecratio calicis corporis consecrationem quam e contra, cum una forma sit ab alia distincta, in quorum significatione non se mutuo includunt. Quare propositum.

[29] Modus et positionis imaginatio in hoc consistit: forma consecrationis, sive panis sive vini, consistit in verbis, sicut et formae aliorum sacramentorum — panis integraliter in his verbis “hoc est corpus meum” et vini in his verbis “hic est calix sanguinis mei.” Nunc autem, quia istae sunt propositiones, nec habent suam veritatem nisi in ultimo instanti prolationis verborum, ideo tunc concipitur ipsarum veritas. Et quia veritas complexa praesupponit suum significatum, ideo istae propositiones ut sunt verae non dicuntur sacramentaliter operative, quia prius natura vel tempore sunt sacramentaliter operativae quam dicantur propositiones verae. Sunt igitur operativae sacramentaliter ex pactione divina, quae [14](#) statuit ut verba huiusmodi a sacerdotibus proferantur, non qualitercumque, sed prout habent Ecclesiae

debitam intentionem. Idcirco tria concurrunt ex parte formae, videlicet sacerdotalis potestas, actualis vel habitualis intentio iuxta sanctionem catholicam et verba superius recitata.

[30] Ex [266vb] quibus posset inferri correlarie quodammodo descriptio quae ponitur a doctore Subtili de eucharistia, quarto *Sententiarum*, distinctione octava, quaestione prima, [15](#) videlicet quod eucharistia est sacramentum corporis Christi et sanguinis veraciter contenti sub speciebus panis et vini post consecrationem factam a sacerdote sub verbis certis cum debita intentione prolatis ex institutione divina veraciter signans corpus Christi et sanguinem sub eisdem realiter contineri.

[31] Ex quibus apparet quid est dicendum de istius sacramenti condicione significativa, quod erat primum investigandum.

<Argumenta contra conclusiones primam et secundam et solutiones eorundem>

[32, - 8] **Contra aliquas praemissarum conclusionum**, ut ipsarum veritas magis appareat, arguo aliquibus mediis. Et primo **contra primam** arguo sic, et probo quod forma consecrandi non consistat in verbis: nulla condicio consequens consecrationem in sacramento eucharistiae est forma consecrandi in eodem; sed haec propositio vocalis “hoc est corpus meum” est condicio consequens consecrationem in sacramento eucharistiae; ergo illa propositio non est forma consecrandi. Et per consequens, cum nec alia vocalis propositio videatur, sequitur quod nullum signum sensibile cadens sub obiecto adaequato potentiae auditivae est forma consecrandi. Quod est primae conclusionis oppositum. Consequentia et maior patet. Sed minor probatur, quoniam, ut apparet ex textu evangelii Matthei 26, per prius Christus panem benedixit quam fregerit, et per prius fregit quam eis dederit, et per prius dedit quam dixerit “hoc est corpus meum”; sed constat quod, quando dedit suis discipulis, pro tunc transsubstantiatio erat facta; ergo per prius fuit facta transsubstantiatio quam verbum aliquod proferret. Et per consequens habetur quod haec propositio “hoc est corpus meum” fuit prolata post formam consecrandi; quod erat probandum. Et ita habetur finaliter quod forma consecrandi non cadit sub obiecto potentiae auditivae; quod erat intentum.

[33] Praeterea, Christus non consecravit in sacramento eucharistiae verbis, ergo non videtur quod forma consecrandi consistat in verbis. Consequentia patet, quia ex imitatione Christi habetur forma in singulis sacramentis, et etiam ex ipsius eruditione; si ergo ipse verbis non confecit, nec etiam hoc conficere sic erudit, sequitur quod forma consecrandi non consistit in verbis. Sed antecedens probatur, quia Christus sola potentia sine quocumque ministerio transsubstantiavit panem in corpus suum, non ergo per verba fecit illam transsubstantiationem. Consequentia patet. Et antecedens probatur, quia cum dixit discipulis suis “accipite et manducate,” quaero quid porrigebat discipulis: aut panem tantum aut corpus suum? Si primum, tunc falsum est quod sequitur “hoc est corpus meum,” cum ibi tunc fieret demonstratio panis. Si corpus suum, [267ra] ergo sequitur quod verba praecessit transsubstantiatio panis, et per consequens sola potentia sine verborum ministerio transsubstantiatus est panis in corpus Christi. Quod est propositum.

[34] Praeterea, omnis actio Ecclesiae circa sacramenta est ex imitatione divina, iuxta auctoritatem vulgatam “omnis Christi actio nostra est instructio”; sed nunc in Ecclesia ita est quod fractio sacramenti sequitur consecrationem; ergo sequitur quod in institutione istius

sacramenti fractio sequebatur consecrationem. Cum igitur verba sequebantur fractionem, ut patet ex textu praeallegato, sequitur quod verba fuerunt secuta consecrationem. Non igitur per verba facta est consecratio, cum ipsa consecratio verba praecesserit. Ut sic possit ratio formari: quicquid praecedit prius, praecedit et suum posterius; sed prius fuit fractio quam verborum prolatio, et consecratio praecessit fractionem; ergo et verborum prolationem; et per consequens non per verba facta est consecratio. Quod est propositum. Et propositiones assumptae patent per praecedentia. Quare intentum.

[35, -32] **Ad istas rationes respondeo.** Ad primam — cuius radix in hoc consistit quod omnia verba fuerunt consecuta consecrationem pro eo quod Christus per prius corpus suum dedit apostolis quam dixerit “hoc est corpus meum” (ut patet per textum evangelii, ubi dicitur “fregit deditque discipulis suis et ait” etc.; quare propositum) — ad istud posset tripliciter responderi. Primo: quod Christus bis protulit ista verba “hoc est corpus meum,” semel plane proferendo in instanti benedictionis, sicut cum quis simul manu benedicit et ore verba profert, alio semel cum aperte dixit apostolis “hoc est corpus meum.” Ad propositum igitur diceretur secundum istam viam quod, licet verba secundo prolata non fuerint conversionis effectiva, tamen verba primo prolata sic; et tunc prius dixit verba quam apostolis dederit; et ex hoc non habetur quod consecraverit sine verbis, sed bene verum est quod consecravit sine istis verbis, demonstratis verbis secundo prolatis; sed ex hoc non sequitur “ergo sine verbis.”

[36] Et si dicatur quod in textu evangelii non habetur quod bis verba Christus pronuntiasset, primo videlicet clandestine et secundo palam, [{16}](#) posset dici quod, quamvis talis duplex prolatio non contineatur expresse in textu, tamen non propter hoc habetur oppositum. Secundo modo potest ad illud argumentum responderi exponendo illam auctoritatem: cum dicitur, “accepit Ihesus panem, benedixit ac fregit deditque discipulis suis,” id est: daturum se disposuit. Et apparet iste intellectus ex sequenti littera, cum dicit, “accipite et comedite”; nondum ergo dederat, sed se disponebat ad dandum. Et secundum istam expositionem argumentum parum concluderet. Tertio posset dici quod Christus in manibus apostolorum confecit. Unde ipse primo tetigit panem et consequenter tradidit apostolis, in quorum manibus facta est transsubstantiatio, cum dixit, [267rb] “hoc est corpus meum.” Sed istud non apparet multum congruum, quoniam tantum sacramentum in aliorum manibus confecisset. Posset etiam qui vellet addere quartum modum dicendi quod panem illum, cum dedit apostolis, multiplicavit, et sic erat in suis manibus et in manibus apostolorum. Et tunc excluderetur dubium incongruitatis quod non confecerit in manibus propriis tantum sacramentum, immo diceretur “idem panis erat in manibus apostolorum et in manibus Christi, et postmodum transsubstantiatus verborum ministerio dicendo ‘hoc est corpus meum’.”

[37] Sed licet quilibet istorum modorum satisfaciat rationi, tamen credo quod expositio auctoritatis magis propositum manifestat. Quare intentum.

[38, -33] Ad secundam rationem, cum dicitur in radice quod Christus non consecravit verbis, sed sola omnipotentia (quod apparet, cum dixit “accipite et comedite,” quid eis porrigebat, vel panem vel corpus suum? Non panem, propter verba sequentia; ergo corpus suum; quod est propositum) — ad istud dico quod causa proprie effectiva huius sacramenti est sola Dei omnipotentia, cui subest omne possibile; cum hoc tamen stat quod ex pactione divina sit aliquod signum pronosticum indicans efficaciter transsubstantiationem huiusmodi per Dei omnipotentiam fore factam. Et quia in illa cena Christus hoc sacramentum instituebat pro generis humani singulari solatio, ideo decens fuit aliquod signum quod, ut dictum est, [{17}](#) fuerunt verba. Et cum arguitur quod non, quia Christus dicebat apostolis “accipite et comedite” antequam diceret “hoc est corpus meum”; quid igitur porrigebat? — hic dico quod

imperativa locutio ex modo significandi non habet ponere rem in actuali existentia, sicut cum dico “comede,” non statim sequitur quod tu comedis; sic cum dico “accipe,” non statim sequitur quod tu accipis. Poterat ergo esse quod porrigebat eis panem transsubstantiandum in corpus suum, qui transsubstantiatus fuit antequam reciperent.

[39] Et cum dicitur quod non, propter propositionem quae sequitur “hoc est corpus meum,” diceretur quod per li “hoc” non demonstrabatur panis, sed corpus Christi; de quo inferius plenius dicitur. [\[18\]](#) Aliter posset dici quod porrigebat eis corpus suum non praesentialiter sub illis speciebus existens, sed mox post verborum prolationem offerebat eis species panis et vini sub quibus corpus Christi erat de proximo collocandum; et sic etiam offerebat corpus suum. Et haec responsio videtur rationabilior prima.

[40, -34] Ad tertium, cum dicitur in sententia quod prius fuit consecratio quam fractio, et prius fractio quam verborum prolatio, ergo prius consecratio quam verborum prolatio (prima propositio patet ex consuetudine Ecclesiae, et secunda apparet ex verbis evangelistae; quare propositum) — hic dico quod fractio circa [267va] species sacramentales quandoque sumitur ratione distributionis, quandoque ratione figurationis. Verbi gratia de primo: si sacerdos haberet multos communicare, et non haberet nisi unam hostiam, posset illam frangere in multas particulas ante consecrationem, ut pro se sumeret et populo sibi subiecto daret. Ratione vero figurationis fit fractio quia, ut dicit Innocentius, *De officio missae*, parte sexta, capitulo tertio, [\[19\]](#) quia Christus est caput Ecclesiae, ideo una pars significat Christum, et ponitur in patena; alia vero pars significat illos de gremio Ecclesiae triumphantis, et ideo ponitur in patena simul cum alia parte, quia sunt iam capiti Christo coniuncti; pars vero in calicem missa, quia calix passionem significat, et ideo illa pars denotat illos qui sunt in agone militantis Ecclesiae. Dico ergo quod, quando fractio sumitur ratione distributionis, non oportet quod sequatur consecrationem, et ita fuit quando Christus in cena panem fregit (quod apparet ex textu per hoc quod sequitur “deditque discipulis suis,” quia eis distribuere volebat. Quando vero sumitur ratione figurationis, sic fractio sequitur consecrationem. Et ex hoc apparet quod fractio quam imitatur Ecclesiae consuetudo non est ad illam significationem de qua fit mentio in evangelio. Et ideo auctoritas illa non inducit quod ante verba fuerit consecratio facta. Sic igitur apparet quod adhuc illa prima conclusio vera est quod forma consecrandi cadit sub obiecto potentiae auditivae.

[41, -12] **Contra secundam conclusionem**, quae dicit quod in his verbis integraliter consistit forma consecrandi “hoc est corpus meum,” supposita intentione debita sacerdotis, arguo aliquibus mediis. Et primo sic: quaelibet oratio de virtute sermonis significat illud quod per suos terminos exprimitur et non illud quod est in intentione proferentis, ergo et per istam orationem “hoc est corpus meum” de virtute sermonis intelligitur illud quod per suos terminos exprimitur et non illud quod est in intentione proferentis. Consequentia et antecedens patent. Et tunc ultra: cum igitur per istam orationem, si sic loquatur aliquis, non praemittendo aliquid aliud, “hoc est corpus meum,” non fiat mentio de Christo, sequitur quod ista verba per se sumpta sine verbis praecedentibus facientibus mentionem de Christo nihil aliud significant quam corpus loquentis. Et per consequens illa oratio absolute sumpta non continet integraliter formam consecrandi. Sicut, si nullam mentionem facerem de Christo, sed absolute dicerem “hec doctrina est mea,” iam propter hoc non intelligeretur quod haec esset doctrina Christi; sic in proposito. Ergo videtur quod ad formam debitam consecrandi requirantur verba praecedentia de Christo facientia mentionem.

[42] Praeterea, nulla propositio falsa est forma consecrandi in aliquo sacramento; sed haec propositio “hoc est corpus meum” est huiusmodi; ergo propositum. Consequentia et maior

patent. Sed minor [267vb] probatur, nam in qualibet propositione ubi ponitur terminus demonstrativus vel demonstratur aliquid ad intellectum vel demonstratur aliquid ad sensum; cum igitur ista sit huiusmodi, quaero quid per eius subiectum demonstratur, aut corpus Christi aut substantia panis aut accidentia panis et vini? Non primum, quia tunc corpus Christi non est sub accidentibus illis. Nec secundum vel tertium, quia tunc ista propositio esset falsa, cum sit affirmativa mere cathégorica cuius subiectum et praedicatum non supponerent pro eodem.

[43] Nec valet si dicatur, sicut communiter dicitur, {20} quod ille terminus non demonstrat nisi pro ultimo instanti prolationis totius propositionis, quia tunc haec propositio “hoc est corpus meum” non esset operativa plus quam ista “corpus meum est corpus meum,” quia nulla propositio est operativa quae foret vera, nulla posita operatione aequae sicut si operatio poneretur; sed ita est in proposito; ergo sequitur quod non est operativa, et per consequens nec formam continet consecrandi; quod est principaliter probandum.

[44] Praeterea, quilibet terminus demonstrativus cuius significatio non est dubia intellectui aliquid repraesentat in instanti pro quo profertur; sed ita est de subiecto istius propositionis “hoc est corpus meum”; ergo antequam illa propositio finiatur, subiectum illius aliquid intellectui repraesentat. Et quaero ut prius. Non corpus Christi, quia ante finem prolationis totius propositionis non est ibi corpus Christi. Si vero accidentia vel panis, sequitur quod illa propositio est falsa. Nec valet responsio superius data {21} quod talis terminus non demonstrat aliquid nisi tota propositio fuerit completa, quia sic diceretur de qualibet propositione; quod non est verum, quia significatio termini non dependet ab existentia sui in propositione; ergo dato quod propositio non compleatur, non minus terminus loco subiecti positus habet suam significationem; et ita est in proposito. Quare intentum.

[45] Praeterea, nulli habenti condicionem numeralem potest fieri additio salva integritate suae naturae, sicut patet in numeris, quia etsi binario addatur extrinsece binarius, non tamen binarius efficitur quaternarius, sed resultat nova species; si ergo formae rerum se habent sicut numeri, ex VII *Metaphysicae*, {22} sequitur quod eis nulla fit additio. Cum igitur ab evangelistis nusquam reperiatur haec dictio “enim” in forma consecrationis, ut patet evangeliorum codices inspicienti, sequitur quod forma qua dicimus “hoc est enim corpus meum” non est forma debita consecrandi (aliter posset fieri additio et deminutio formae sine sui variatione intrinseca; quod falsum est).

[47, -41] **Ad istas rationes respondeo.** Ad primam, cuius radix in hoc consistit quod ista propositio “hoc est corpus meum,” ratione significationis quae habetur ex terminis, nisi aliud proferatur, non intelligitur nisi de illo qui loquitur, et per consequens per se non est forma consecrandi — hic breviter dico quod dupliciter potest ad istud responderi. Primo modo [268ra] quod aliud est aliquid necessarium existere ad formam consecrationis, aliud est aliquid existere tamquam formae consecrationi<s> necessario praemittendum, sicut verbi gratia in exemplo naturali loquendo naturaliter aliud est producere formam substantialem, aliud necessario exigi ad hoc quod forma substantialis producat, quoniam substantia producit substantiam, et non accidens, ut quidam opinantur, {23} et tamen accidens necessario praeexigitur ad productionem formae substantialis. Sic in proposito: in his verbis “hoc est enim corpus meum” consistit integraliter forma consecrationis, licet verba praecedentia sint necessario praemittenda, quae faciunt mentionem de Christo, propter intellectum planiorem propositionis demonstrativae. Et ideo non sequitur: ‘ista verba non sunt necessario praemittenda formae consecrationis sine his verbis “hoc est enim corpus meum,” ergo in his verbis consecratio integraliter non consistit’. Secundo posset dici quod terminus demonstrativus non habet determinatam significationem nisi secundum placitum

demonstrantis, nam prolata vel proposita alicui ista propositione absolute “hoc est corpus meum,” habet ipsam dubitare, nisi sciret vel determinaret se ad certum aliquid demonstrandum. Et ideo, cum similem propositionem Christus in consecrando protulerit, posset sacerdos proferre illam propositionem habendo intentionem circa ipsam sicut Christus habuit et nunc Ecclesia habet, et ita per subiectum corpus Christi demonstrare et pronomen possessivum ad illud idem referre. Et tunc adhuc absolute proferendo verba huiusmodi, consecraret veraciter sacerdos habens talem intentionem.

[48] Et tunc, cum dicitur quod non, pro eo quod illa propositio de virtute sermonis significat illum qui propositionem huiusmodi exprimit — istud non est verum, nam de virtute sermonis quantecumque aliquis dicat “hoc est corpus meum,” posset propositionem illam dubitare. Quare etc.

[49, -42] Ad secundum, cum dicitur quod haec propositio est falsa “hoc est corpus meum,” et per consequens non est forma consecrandi, et antecedens inquisitive probatur (“quid demonstratur per li ‘hoc’” ?) — pro responsione ad istam rationem advertendum est quod diversi doctores diversimode nixi sunt huic satisfacere rationi. Quidam [\[24\]](#) dixerunt quod illa propositio sumitur materialiter, et ideo ibi ille terminus nihil demonstrat, sed sacerdos solummodo recitative replicat verba Christi; et hoc apparet per litteram praecedentem, cum dicitur “cenantibus illis, accepit Ihesus panem et benedixit” etc. Sed tunc isti dicunt quod in signo benedictionis facta est transsubstantiatio; et ideo non oportet quaerere de significatione verborum. Quibus alludit opinio domini Innocentii. haec tamen opinio superius improbata est; [\[25\]](#) et ideo de ipsa nihil ad praesens.

[50] Alii [\[26\]](#) dicunt quod ille terminus tenetur significative et demonstrat corpus Christi. Pro quo dicunt quod de ratione nominis est significare sine tempore; et ideo quamvis sit ibi verbum de praesenti, tamen terminus ille non artatur ad significandum ratione verbi plus praesens quam praeteritum vel etiam futurum; et ideo, dato quod per li “hoc” demonstretur corpus Christi, non oportet [\[268rb\]](#) propter hoc inferre quod corpus Christi sit ibi. Sed sine dubio, si quis considerat illud quod radicaliter ponit ista positio, numquam aliqua propositio, sive de praesenti, sive de praeterito, sive de futuro, esset concedenda vel neganda, quia, capta quacumque, ex quo subiectum ipsius significat sine tempore, ita posset dici quod non propter hoc oportet inferre “ergo fuit, est, vel erit,” quia non artatur subiectum per verbum additum, quod frivolum videtur.

[51] Alii [\[27\]](#) dixerunt quod per li “hoc” non demonstratur individuum speciei specialissimae, sed aliquod individuum generis. Et ideo illa est vera “hoc est corpus meum”; nec demonstratur ibi nisi corpus prout est individuum de genere corporis. Sed istud nihil est dictu nisi ponerentur universalialia ex parte rei. Et sic essent alia individua generum, isto modo imaginandi, quod adhuc valde videtur difficile. Et ideo eundo ad communem intelligentiam, dicendo “hoc corpus,” “illud corpus,” vel demonstro Sortem vel istum lapidem, et sic de aliis. Et tunc responsio nulla.

[52] Alii [\[28\]](#) dixerunt quod propositio illa significat in ultimo instanti prolotionis. Sed tunc remanet difficultas, quia pro tunc non est operativa.

[53] Et ideo, quicquid sit de tot verborum involutionibus, potest iudicio meo clarius difficultas ista theologice solvi, distinguendo quod ista propositio “hoc est corpus meum” est dupliciter significativa, videlicet sacramentaliter et prout est oratio enuntiativa. Primo modo est operativa et est signum pronosticum cui assistit virtus divina transsubstantians panem in

corpus Christi. Secundo modo est operationis huiusmodi enunciativa. Nunc ulterius dico quod ordine naturae prius est sacramentaliter ex institutione divina significativa quam sit complexe significativa. Et ideo in ultimo <instanti> prolotionis totius propositionis et habetur propositionis efficacia per modum sacramenti et ipsius veritas per modum enunciantis. Quare propositum.

[54, -44] Ad tertium, cum dicitur quod sive iste terminus demonstrativus ponatur in propositione sive non, significat, “quia significatio termini non dependet ex existentia sui in propositione,” et per consequens in principio prolotionis praefatae propositionis li “hoc” aliquid demonstrat — hic breviter dico quod demonstrat corpus Christi. Sed verificatio totius propositionis non est nisi pro ultimo instanti prolotionis. Et ideo, dato quod demonstretur corpus Christi, ex hoc non inferretur “ergo est hic,” sicut per istum terminum “hic” possum Antichristum demonstrare, et tamen ex hoc non inferretur “Antichristus est.” Unde in hoc verum dicit illa opinio [\[29\]](#) quae dicit quod significatio termini non respicit tempus. Verumtamen artatur ratione verbi adiuncti ad supponendum plus pro praesentibus quam pro praeteritis sive futuris, nisi homo vellet tunc dicere quod istae propositiones sunt falsae “omnis homo est,” “omne animal est,” et sic de sibi similibus. Quae magis sunt cavillatoria et puerilia quam alicuius rationis expressiva, pro eo quod apud eos ille terminus supponeret pro quolibet suo significato, et cum indifferenter respiciat omnem [\[268va\]](#) hominem sive praeteritum sive futurum, dicerent isti quod significat quod Adam est. Quae, quia falsae sunt, ideo et similiter ipsarum universales.

[55] Sed quale sit istud motivum vestrae discretioni relinquo. Sufficit enim ad propositum quod iste terminus demonstrativus ‘hoc’, antequam aliqua propositio formetur, possit demonstrare corpus Christi, ratione cuius demonstrationis non oportet inferre existentiam rei ibi vel ibi, sed, ut praedictum est, [\[30\]](#) finis propositionis suae quiditatis indicat rationem; quare propositum.

[56 : -45] Ad quartum, cum dicitur quod illa non videtur forma: “Hoc est enim corpus meum,” quia li ‘enim’ nusquam reperitur in codicibus evangeliorum, ad illud breviter dicitur quod illa coniunctio ‘enim’ non est de essentia formae, sed ibi tantummodo ponitur ad denotandum ordinem consecrationis ad usum materiae consecratae, qui etiam usus non est de essentia sacramenti, nec verba quae praecedunt, licet peccaret mortaliter qui ea scienter dimitteret.

[57] Pro quo est advertendum quod forma in sacramento quoad necessitatem potest considerari dupliciter, videlicet vel quoad sacramentum vel quoad ministrum. Si quoad ministrum, sic est necessaria forma qua Romana Ecclesia utitur, quam, si omitteret ministrans, peccaret mortaliter nisi esset ignorantia invincibilis, quae posset quodammodo subito causari ex aliquo defectu cerebri, propter fumositatem a stomacho indigesto frequenter ad cerebrum ascendentem. Et hoc si sit sacerdos Romanus, quod dico propter Graecos.

[58] Si vero consideretur forma quoad necessitatem sacramenti, sic videtur illa: “Hoc est corpus meum et hic est sanguis meus,” et hoc si apostoli non solum intenderunt nobis narrare veritatem facti, verum etiam tradere debitam formam. Ubi autem non intendissent nisi praecise tradere notitiam de praedicta forma per formam in significatione consimilem, tenenda est omnino forma Romanae Ecclesiae de necessitate, maxime quia inter evangelistas in consecratione calicis diversitas in verbis non modica reperitur, quoniam Matthaeus et Marcus dicunt, “Hic est sanguis meus,” Lucas vero dicit, “Hic calix novi testamenti in meo sanguine.” Canon vero dicit, “Hic est enim calix sanguinis mei.” Quia ergo videtur diversitas in huiusmodi formis, ubi evangelistae non processissent nisi via narrationis, via canonis esset

tenenda, quia illa videtur exprimere formam institutionis ab apostolis traditam prout dicit Innocentius: [\[31\]](#) “Romana Ecclesia illud semper integra fide servavit quod ab ipsis apostolis — qui eam praesentialiter et factis et doctrinis et ecclesiasticos ritus docuerunt — ab ipsis apostolis, Petro et Paulo, quos vivos auctores habuit, et defunctos custodit, hunc ritum sacrificii accepit, quem hactenus immortalis cultu servavit.”

[59] Ex quibus apparet quod forma canonis [268vb] est accipienda, quia illa non traditur per modum narrationis, sed potius per modum institutionis. Ubi autem formae ab evangelistis traditae non solum essent narrativae, sed etiam narrationis institutivae, tunc in quacumque illarum formarum consecraretur, verum sacrificium conficeretur.

[60] Et sic apparet quod illa positio quoad suas conclusiones fundamentales remanet in suo vigore. Contra alias vero conclusiones non arguo, quia per responsiones ad argumenta nunc facta sunt clarius solidatae. Et sic habetur intentum.

<PARS SECUNDA>

[1] Nunc consequenter videndum est de secundo principali huius articuli declarativo, videlicet de efficacia conversiva, et hoc est investigare de ipsa conversione quae fit virtute verborum sacramentalium.

[2] Pro cuius declaratione **decem pono conclusiones**. **Quarum prima** est haec: transsubstantiatio non est aliqua mutatio rebus naturalibus insita ex sua origine naturali. Ista conclusio sic probatur: omnis naturalis mutatio rebus naturalibus insita vel est generatio vel corruptio, augmentatio vel deminutio, alteratio vel secundum locum mutatio; sed transsubstantiatio non est aliqua illarum mutationum; ergo propositum. Consequentia patet. Et maior est non solum per experientiam nota, sed etiam est Philosophi in *Postpraedicamentis*, ubi sex mutationis species enumerat. Minor vero apparet in discurrendo per singulas mutationis species. Non enim est generatio, quia in transsubstantiatione nihil noviter capit esse, quia nec corpus Christi, nec aliquid aliud absolutum quod transsubstantiatur. Nec est corruptio, cum non maneat actualiter eadem materia sub utroque termino motus. Nec augmentatio similiter, cum corpus Christi non sit maioris quantitatis quam prius. Nec deminutio, quia nec in pane nec in corpore Christi. Nec alteratio, quia in corpore Christi nulla ex hoc fit alteratio secundum aliquam qualitatem. Nec secundum locum mutatio, quia corpus Christi non movetur ex hoc localiter, cum, ut postea videbitur, [\[1\]](#) locum quem in caelo occupat, non reliquat. Quare propositum.

[3] Praeterea, in omni naturali conversiva mutatione illud in quod aliud convertitur dicitur ‘factum’, ut, si nutrimentum in carnem convertitur, dicitur caro ‘facta’, et sic de aliis naturalibus conversionibus; sed in transsubstantiatione panis in corpus Christi non dicitur corpus Christi ‘factum’ ista mutatione; ergo propositum. Consequentia et maior patent. Et minor est communiter a theologis concessa. Et patet etiam quia corpus Christi eque inmutabiliter secundum substantiam se habet sicut prius: quare propositum.

[4] **Secunda conclusio** est haec: transsubstantiatio non est ex propria conditione annihilatio sive mutatio creativa. Ista conclusio quoad secundam partem — quod non sit mutatio creativa — apparet, quia quod creatur, noviter capit esse; nunc [269ra] autem corpus Christi non capit noviter esse; ergo propositum; nec similiter panis, cum ipse desinat esse. Sed quod non sit annihilatio sic probatur: quia nulla mutatio cuius quilibet terminus est positivus est annihilatio; sed transsubstantiatio est talis mutatio cuius quilibet terminus est positivus; ergo

transsubstantiatio non est annihilatio. Consequentia et maior patent. Et minor patet, quoniam in transsubstantiatione panis est terminus a quo et corpus Christi est terminus ad quem; sed tam panis quam corpus Christi sunt termini positivi; ergo propositum.

[5] Praeterea, creatio et annihilatio sunt opposita; si ergo transsubstantiatio panis in corpus Christi foret annihilatio, sequitur quod versa vice, si corpus Christi converteretur in panem, quod ibi esset creatio. Consequens est falsum; ergo et antecedens. Consequentia patet. Sed consequentis falsitas sic probatur: nam quod producitur de aliquo, non creatur; sed in casu illo panis produceretur de corpore Christi, quia de ipso fieret panis; sed nihil quod fit de aliquo creatur; ergo in tali casu panis non crearetur. Et per consequens eius opposita mutatio non est annihilatio, quia in isto casu esse novum panis creationem non arguit; et per consequens nec non esse ipsius arguit annihilationem.

[6] **Tercia conclusio** est haec: transsubstantiatio est unius substantiae totalis versio in aliam substantiam actualiter existentem. Ista conclusio sic probatur: quaelibet transitio alicuius rei corporalis per quam materia transit in materiam, et forma in formam, est versio totalis unius substantiae in aliam; sed in transsubstantiatione panis in corpus Christi tota materia panis transit in totam materiam corporis Christi, et forma in formam; ergo propositum. Consequentia patet. Et maior, quia in nulla mutatione quas Philosophus enumerat, V *Physicorum*, [\[2\]](#) est transitus materiae in materiam, sed semper remanet aliquid sub utroque termino motus; et per consequens ubi est transitus [totalis substantiae in aliam substantiam **[mg. P; om. V]** nihil est **[om. V]** commune remanens sub utroque termino motus; [~~et~~] per consequens transsubstantiatio **[mg. P; om. V]** est naturae totalis transitio. Et minor apparet per Magistrum, libro quarto, distinctione 11. Quare propositum.

[7] Praeterea, omnis mutatio cuius terminus ad quem est aliquid positivum, et de termino a quo nihil remanet, est totalis versio unius rei in aliam; sed transsubstantiatio est huiusmodi; ergo propositum. Consequentia patet. Et maior ex hoc, quoniam, si aliquid transit in aliquid positivum, nec aliquid eius remanet, sequitur quod illud est totaliter versum in aliud, quoniam, si aliquid remaneret, non esset totaliter versum, saltem secundum illud quod remanet. Et minor apparet, quoniam transsubstantiari est unam substantiam in aliam transire, et hoc secundum rationem nominis. — Et quo apparet quod de virtute sermonis impossibile est unum accidens transsubstantiari in aliud vel in aliquam rem, pro eo quod impossibile est aliquod accidens esse substantiam, quamvis accidens totaliter possit in aliud verti, et ita transaccidentari. Unde totalis versio unius rei [269rb] ad aliam est superius ad transsubstantiationem et transaccidentationem.

[8] **Quarta conclusio** est haec: transsubstantiatio est possibilis, nullam contradictionem implicans secundum nominis rationem. Ista conclusio sic probatur: quicquid potest esse novum, non repugnat sibi succedere alteri quod potest totaliter desinere esse; ergo aliqua substantia potest totaliter esse nova, hoc est secundum quamlibet ipsius rationem, et aliqua potest totaliter desinere esse; sed aliqua substantia potest totaliter succedere alteri substantiae totaliter desinenti; et per consequens una substantia potest in aliam transire. Consequentia patet. Et maior ex hoc, quoniam non est maior repugnantia quod aliquid ex simpliciter nihillo capiat aliquod esse quam ex aliquo; si ergo alicui non repugnat ex simpliciter nihilo capere esse, sequitur quod nec ex aliquo; et per consequens alicui totaliter desinenti non repugnat aliquid aliud succedere; quod est propositum. Et minor probatur, nam creatio est possibilis, nec aliquam videtur includere contradictionem; et similiter annihilatio, ex quo sunt termini oppositi; et per consequens potentia quae potest creare, potest similiter annihilare, quare et

rem sine sui annihilatione totaliter facere desinere esse, quia non maioris potentiae videtur secundum quam primum; quod est propositum.

[9] Praeterea, virtus activa in cuius potestate sunt duo extrema quantum ad totum esse et quantum ad totum non-esse potest unum extremum in aliud convertere; sed ista duo extrema, panis et corpus Christi, vel quaevis alia substantia, sunt in potentia activa Dei quantum ad totum esse et quantum ad totum suum non-esse; ergo sequitur quod virtus activa Dei potest unum in aliud transsubstantiare; non ergo videtur contradictio in transsubstantiatione secundum nominis rationem. Consequentia et minor patent. Sed maior probatur in simili de partiali transitione: quoniam ex hoc ignis potest ex aqua facere ignem, quia habet dominium supra non-esse aquae et esse ignis ex aqua generandi; et ideo facit partialem transitum aquae in ignem, quia corrumpendo aquam, generat ignem; ubi ergo ignis haberet plenum dominium supra materiam aquae, ita corrumperet materiam aquae, ex ipsa faciendo materiam ignis, sicut facit de [om. V] forma. Si ergo hoc non facit, hoc provenire videtur ex hoc quod agens non habet in sua potestate illa duo extrema quantum ad totum suum esse et ad totum suum non esse; et per consequens virtus activa quae haberet talem potestatem supra utrumque extremum posset unum in aliud convertere. Et ita apparet quod transsubstantiatio videtur possibilis secundum sui nominis rationem; et hoc maxime quia Deo attribuimus omnipotentiam in agendo; quare propositum.

[10] **Quinta conclusio** est haec: transsubstantiatio est subita mutatio secundum propriam quiditatem. Ista conclusio sic probatur: omnis transitus de contradictorio in contradictorium arguit aliquam mutationem; sed in transsubstantiatione est transitus huiusmodi [269va]; ergo propositum. Consequentia et maior patent ex communi doctrina. Et minor apparet, quia in instanti prolotionis ultimo verborum sacramentalium est verum dicere “iam panis non est”; et immediate ante hoc fuit; ergo ibi fuit transitus de esse ad non-esse; quae sunt contradictoria; quare propositum. Sed quod sit instantanea probo: quia illud quod secundum se et quodlibet sui iam non est, et immediate ante hoc secundum se et quodlibet sui fuit, habuit subitam mutationem, quia in nullis partibus fuit successio; sed ita est de pane, qui in fine <prolotionis> verborum sacramentalium secundum se et quodlibet sui iam non est, et immediate ante hoc fuit; ergo propositum.

[11] Praeterea, si non esset subita mutatio, sed successiva, vel ergo esset ad quantitatem, vel ad qualitatem, vel ad ubi. Consequentia patet, quia omnis successiva mutatio sub altero istorum membrorum continetur. Sed non est ad quantitatem, cum ibi non sit augmentatio vel deminutio, sed rei totalis versio. Nec est ad qualitatem, quia qualitates in eucharistia manent sine alteratione ad hoc pertinente. Nec est mutatio ad ubi, quia in huiusmodi mutatione non est rei totalis versio, sed idem mobile est a principio transmutationis usque ad finem. Quare propositum. Ut sic possit ratio confirmari: in omni mutatione successiva idem mobile manet a principio transmutationis successivae usque ad finem; sed in transsubstantiatione non est sic; ergo propositum. Consequentia patet. Et minor est manifesta, quia in totali versione non manet verum **[mobile P]** in termino ad quem mutationis. Et maior apparet in motu locali, ubi idem mobile est in principio et in fine; similiter in motu augmentationis patet, ubi idem animal est in principio et in fine; similiter in alteratione, ubi proprie subiectum alteratur, quia qualitas proprie nec intenditur nec remittitur; quare propositum.

[12] **Sexta conclusio** est haec: quaelibet creata quiditas potest in aliam quiditatem creatam totaliter pertransire. Et intelligo conclusionem generaliter, ita quod accidens potest converti in substantiam, et substantia in accidens, et sic de quibuscumque aliis creaturis. Verumtamen talis conversio generaliter non vocaretur ‘transsubstantiatio’, nec ‘transaccidentatio’, sed

praecise 'totalis rei versio'. Ista conclusio sic probatur: quaelibet creatura est in potentia Dei obiectivali, ut de ipsa naturae Conditor possit facere quicquid fieri non includit contradictionem; sed signata aliqua creatura, ipsa est in potentia obiectivali ut convertatur in aliam; ergo propositum. Probatur minor: nam signo albedinem quae debeat converti in angelum. Quaero: si esset repugnantia quod albedo converteretur in angelum, ubi haberet ortum? Non ex parte Dei, quia ipse habet plenum dominium super utramque illarum naturarum. Nec naturis repugnat passive, quia sic non posset aliquam transsubstantiationem facere, cum non sit [269vb] maior ratio de una re quam de alia, quod falsum est; quare propositum.

[13] Et confirmatur ratio: quoniam, si esset repugnantia ex parte creaturarum, aut hoc esset per rationem transcendentis, aut per rationem generis remoti aut proximi, aut ratione speciei specialissimae, aut ratione individui. Repugnantia non oritur primo modo, quia ut sic non posset aliquam creaturam in alteram convertere; quod inferius videbitur falsum. [\[3\]](#) Nec similiter ratione generis generalissimi, quia non videtur maior repugnantia quod ex pane fiat corpus sensificatum quam quod ex una albedine fiat una quantitas, quae sunt diversorum generum. Nec tertium impedit, quia omnia talia genera similem habent habitudinem. Nec quartum impedit, quia panis et corpus Christi sunt diversarum specierum, et similiter diversas rationes individuales habentes, quae similem habent in omnibus oppositionem **[operationem V]**; ita enim repugnat quod ex asino fiat homo sicut e converso. Si ergo in aliquibus non reperitur repugnantia, sequitur quod in nullis. Et ita habetur propositum.

[14] Praeterea, si aliqua esset impossibilitas quare una creatura non possit converti in aliam, hoc maxime videretur per hoc quod requiritur potentialitas passiva in una respectu alterius, sicut dicimus de materia respectu diversarum formarum, quae forsitan non est, sicut diceretur de creatura corporali respectu spiritualis quod corporalis non habet potentialitatem transeundi ad rem immaterialem, quia non communicat cum ipsa in materia, quia ex hoc est possibilitas quod panis transsubstantietur in corpus Christi, quia panis et corpus Christi communicant in materia.

[15: -14] Contra: quod hoc non sufficit, quia minor est repugnantia inter duas animas intellectivas quam sit inter duas naturas corporeas specie differentes; ergo magis videtur possibilitas quod ex una anima fiat alia, hoc est quod una convertatur in aliam, quam quod individuum unius speciei convertatur in individuum alterius speciei; sed secundum est possibile secundum theologos; ergo et primum.

[16] Et praeterea, secundum illam assignationem Deus non posset convertere unum angelum in alium, cum non communicent in materia, quia ambo illorum sunt immateriales; et ergo instantia parva est.

[17] Et praeterea potest imaginari duplex potentia in qualibet creatura, naturalis videlicet et obiectivalis, ut alias dictum est; [\[4\]](#) et tunc, licet potentia naturali una non possit in aliam converti, tamen bene potentia obiectivali qua subsunt omnes creaturae beneplacito Conditoris; quare propositum.

[18] **Septima conclusio** est haec: nulla creata quiditas potest per aliquam potentiam converti in substantiam supersimplicis deitatis. Ista conclusio sic probatur: illud quod non cadit sub potentia alicuius agentis non potest esse terminus conversionis realis; sed substantia deitatis est talis quod ipsa non cadit sub potentia alicuius agentis; ergo propositum. Consequentia et minor patent. Et maior ex hoc, quoniam, ut dictum est, [\[5\]](#) per hoc Deus potest unam [270ra]

creaturam in aliam conmutare, quia respectu utriusque habet plenum dominium; et per consequens uterque terminus requiritur sub pleno dominio potentiae agentis. Quod ergo subterfugit cuiuscumque agentis dominium nullo modo potest esse terminus conversionis realis; quod erat probandum; quare propositum.

[19] Praeterea, transsubstantiatio non est annihilatio, per secundam conclusionem, sed est totalis rei versio in aliam, per tertiam conclusionem; si ergo <res> transit in aliam rem, aut ergo manet ibi secundum propriam existentiam, aut per quandam aequivalentiam, quasi habens in illo in quod convertitur quandam aliquantitatem; non primo modo; ergo secundo modo, quia ex quo ibi non est annihilata substantia quae transit, sequitur quod quandam aliquantitatem habet in eo in quod transit. Si ergo aliqua creatura posset transsubstantiari in deitatis substantiam, sequitur quod quodammodo quaedam condicio creaturae esset in Deo; quod non videtur possibile.

[20] Et confirmatur: quia si posset sic transire, aut igitur transiret in deitatis substantiam secundum quamlibet rationem sibi intrinsicam, et sic essentialem, aut non, sed praecise in denominationem consimilem; si primo modo, non videtur quomodo talis creatura habeat quod ex ipsa fiat immensum bonum; similiter nec secundum videtur, quia quaelibet talis ratio est formaliter independens et formaliter immensa; et per consequens adhuc ex tali creatura fieret infinite bonum; et etiam tunc non videretur ratio quare non versa vice, [\[6\]](#) quia consimilis habitudo est finiti ad infinitum quae est infiniti ad finitum; et igitur quam non repugnaret quod finitum transsubstantiaretur in rem infinitam tam quod infinitum transsubstantiaretur in rem finitam; et ita per consequens possibile esset Deum in creaturam converti; quod videtur impossibile; quare propositum. — Quicquid sit de rationibus istis, conclusio est vera, licet ipsius oppositum sit a contradictione defendibile; non credo quod aliquis per viam contradictionis convinceretur.

[21] **Octava conclusio** est haec: transsubstantiatio non est mutationis condicio existens in aliquo subiective. Ista conclusio sic probatur: quia si esset in aliquo subiective, aut ergo in termino a quo, aut in termino ad quem; non primo modo, quia terminus a quo non est; nec in termino ad quem, quia stat terminum praefuisse, sicut nunc dicimus de corpore Christi; et per consequens per istam transsubstantiationem non capit terminus ad quem noviter esse.

[22] Nec valet si dicatur quod terminus ad quem capit novam praesentiam in loco, quam prius non habuit; et igitur per transsubstantiationem habet terminus ad quem aliquod esse, saltem accidentale, quod prius non habuit — quia, licet de facto ita est quod corpus Christi acquirit novam praesentiam, hoc tamen non habet formaliter ex transsubstantiatione, ut dicitur in posterum, [\[7\]](#) quia staret quod panis transsubstantiaretur in corpus Christi absque hoc quod esset sub speciebus in sacramento, quia Deus posset transsubstantiare unum panem in corpus Christi non mutans locum in caelo, nec alium locum acquirens [270rb]; et tunc certum est quod corpus Christi esset terminus conversionis, et tamen non esset proprie mutatum; et igitur non apparet quod transsubstantiatio sit formaliter mutatio existens in aliquo subiective.

[23] Praeterea, quodlibet in quo est subiective mutatio dicitur moveri sive mutari; sed facta conversione sive transsubstantiatione, nihil dicitur moveri; non corpus Christi, ut patet; nec panis, cum non sit.

[24] Sed forsitan dicitur quod panis movetur de esse ad non-esse.

[25] Contra: quaero, aut movetur quando est, aut quando non est? Non quando est, quia pro tunc non est verum dicere quod transsubstantiatio est, quia positio transsubstantiationis est non existentia panis; nec est dicendum quod movetur quando non est, propter implicationem contradictionis; ergo videtur per sufficientem divisionem quod transsubstantiatio non est formaliter existens in aliquo subiective; quare propositum.

[26] **Nona conclusio** est haec: aliquam creaturam corpoream in alterius creaturae corporeae converti substantiam est firmiter asserendum. Ista conclusio apparet auctoritate multiplici. Et primo Ecclesiae, *Extra, De summa Trinitate et fide Catholica*, capitulo “Firmiter,” [\[8\]](#) ubi dicitur quod “corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continetur, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem”; quare propositum.

[27] Praeterea, Magister *Sententiarum* libro quarto, distinctione 11, [\[9\]](#) hoc idem asserit.

[28] Ad hoc est Innocencius, *De officio missae*, parte tertia, capitulo 26, [\[10\]](#) ubi tres opiniones recitat: unam quae dicit panem manere, aliam quae dicit panem annihilari, et tertiam quae ponit panem converti; et hanc approbat; quare propositum. Hoc idem apparet *De consecratione*, distinctione secunda, in multis capitulis. [\[11\]](#)

[29] Ex quo apparet quod illae duae positiones falsae sunt quae dicunt panem non converti in corpus Christi — et in hoc conveniunt, licet in hoc discrepent, quia una dicit panem annihilari, vel in materiam praeiacentem resolui, et alia dicit panem manere; conveniunt etiam in hoc quod utraque dicit sub speciebus panis et vini veraciter contineri corpus Christi; et hoc omnes opiniones concedunt. Quod autem praedictae opiniones sint falsae arguo sic: de sacramentis Ecclesiae id tenendum est quod sancta mater tenet Ecclesia, ut habetur *Extra, De hereticis*, “Ad abolendam”; [\[13\]](#) sed sancta mater Ecclesia tenet quod panis transsubstantiatur in corpus Christi, ut apparet per decretalem superius allegatam; ergo ita est tenendum; et per consequens oppositum asserere non est tutum.

[30] Praeterea, ad hoc videtur congruentia, contra illam opinionem quae ponit panem manere, quia nullus non ieiunus debet celebrare; sed percepta eucharistia, adhuc quis potest celebrare, ut habetur *Extra, De celebratione missarum*, “Consuluisti”; [\[14\]](#) ergo in perceptione eucharistiae non est fractio ieiunii; sed si ibi esset substantia panis, percipiendo eucharistiam, quis frangeret ieiunium; [270va] ergo percepta eucharistia, quis non posset missam aliam celebrare; quod est contra decretalem allegatam; quare propositum.

[31] Ista conclusio potius quam sua opposita tenenda est propter Ecclesiae auctoritatem.

[32] **Decima conclusio**, et finalis quoad hoc, est ista: per nullum verbum substantivum actum vel potentiam denotans potest transsubstantiationis condicio declarari. Volo dicere quod nec per hoc verbum ‘fuit’, nec per hoc verbum ‘erit’, nec per hoc verbum ‘potest’, nec per hoc verbum ‘fit’ et suis temporibus, potest transsubstantiatio exprimi quovis modo. Primum patet, quoniam ista propositio falsa est: ‘panis erit corpus Christi’, quia cum praedicatum appellet suam formam, et propositio de praesenti in qua ponitur praedicatum praedicari de illo subiecto ‘panis’, vel de pronomine demonstrante, sit semper falsa, ideo haec est simpliciter falsa: ‘panis erit corpus Christi’. Et consimiliter est de ista: ‘panis fuit corpus Christi’; et sic de aliis propter causam assignatam. Sequitur quod nulla talium propositionum est vera, nec per aliquam talem potest condicio transsubstantiationis exprimi; quod est propositum.

[33] Ad salvandum igitur quod fides ponit, recolligendo praedicta, oportet nos imaginari unam mutationem quae non reperitur in aliquo genere mutationis a physicis assignato, quae etiam nec est creatio nec annihilatio, nec mutatio existens in aliquo subiective. Vnde sicut in naturalibus tres inveniuntur mutationes, prout ipsas distinguit Philosophus, V *Physicorum*, {15} videlicet a subiecto in subiectum, a non-subiecto in subiectum, et a subiecto in non-subiectum, ita conformiter oportet nos tres mutationes imaginari quae sunt supernaturales: una est a non-subiecto in subiectum, et haec est creatio, quia est de non-ente ad ens; alia de subiecto in non-subiectum, et haec est annihilatio, quae est de ente ad non-ens; tertia est de subiecto ad subiectum, et haec est transsubstantiatio, quia est de termino positivo ad terminum positivum, de pane videlicet ad corpus Christi. Sed ista non est successiva, sed subita. Est igitur unius substantiae totalis versio in aliam substantiam actualiter existentem transsubstantiatio. Et huiusmodi possibilitas provenit ex duobus, videlicet ex aliqua activa potentia quae habet utrumque terminum sub pleno dominio sue activitatis, et similiter ex mutua potentiali oboedientia in qualibet creatura intrinsece radicata. Nunc igitur, quia istae duae condiciones quamlibet creaturam inspicunt, ideo una potest in aliam verti sive transsubstantiari. Quia vero sola deitatis substantia est ab istis condicionibus remota penitus, ideo nihil in deitatis substantiam dicitur converti isto genere conversionis. Et talem fore conversionem firmiter credimus et firmiter confitemur, quam nescimus exprimere sicut nec alia fidei sacramenta, quoniam incomprehensibilia sunt iudicia Dei et <in>investigabiles [270vb] viae eius.

<Argumenta contra conclusiones quartam, septimam, et nonam et solutiones eorundem>

[34: -8] **Contra aliquas praemissarum**, ut ipsarum veritas magis appareat, arguo aliquibus mediis, et hoc **contra quartam, septimam, et nonam conclusiones**. Arguo igitur **contra quartam**, quae dicit quod transsubstantiatio est possibilis, nullam contradictionem implicans secundum nominis rationem. Et probo quod eo modo quo transsubstantiationem intelligunt communiter theologi includat contradictionem. Et signo gratia exempli tres terminos, videlicet ‘panem’, ‘corpus Christi’, et ‘Sortem’. Et arguo sic: posita transsubstantiatione panis in corpus Christi, non plus habetur quod panis sit transsubstantiatus in corpus Christi quam quod panis sit transsubstantiatus in Sortem; sed posita transsubstantiatione panis in corpus Christus, ex hoc panis non transsubstantiatur in Sortem; ergo nec similiter in corpus Christi. Et ex alia parte, si ponitur transsubstantiatio panis in corpus Christi, panis transsubstantiatur in corpus Christi; ergo videtur quod contradictionem implicat talem transsubstantiationem posse fieri. Consequentia patet. Et assumptum probatur: nam ponatur quod panis iam transsubstantietur in corpus Christi; tunc arguo sic: panis ante suum non esse non aliter se habet ad corpus Christi quam ad Sortem; et similiter post suum esse non aliter se habet ad unum quam ad aliud; ergo non videtur ratio quare magis ille panis sit transsubstantiatus in corpus Christi quam in Sortem; vel ergo erit transsubstantiatus in quodlibet ipsorum vel in nullum ipsorum; sed non in quodlibet; ergo in nullum; quod est oppositum positi. Sed antecedens probatur: quia ante non-esse panis manifestum est quod panis aequaliter se habet; sed probo quod similiter sit in instanti in quo est verum dicere ‘panis iam non est; et immediate ante hoc fuit’, quia omnem habitudinem quam prius habebat corpus Christi eandem iam habet, nec aliam acquisivit; et consimiliter est de Sorte; ergo non videtur quare magis ille panis transierit in corpus Christi quam in Sortem.

[35] Sed forsā hic dicitur quod corpus Christi acquisivit novam praesentiam quam prius non habuit.

[36] Sed hoc non solvit difficultatem; nam accidit transsubstantiationi quod corpus Christi succedat panī in eodem loco; et per consequens imaginabile est quod fiat secundum istam viam transsubstantiatio panis in corpus Christi absque nova praesentia acquisita; et tunc, ut prius, omnem habitudinem quam nunc habet corpus Christi, prius habuit; ergo quam primo panis non erat transsubstantiatus in ipsum, tam nec modo; aliter non videtur ratio quare etiam non esset transsubstantiatus in Sortem, et in quodlibet praeeexistens. Et antecedens probatur: quia corpus Christi aequē inmutabiliter se habet sicut prius, cum nec sit mutatum substantialiter, localiter, quantitative, vel qualitative, et ita est de quolibet alio; ergo non apparet ratio quare magis istud conveniat corpori Christi, videlicet quod aliud transsubstantietur in ipsum, quam cuicumque alteri; quod est propositum.

[37] Praeterea, in huiusmodi transsubstantiatione non videtur nisi quaedam suppletio existentiae alicuius [271ra] rei post suum esse admissum, quia ex non-esse panis habetur quodammodo quaedam corporis Christi successio supplens vicem panis; aliter non videtur intelligibile. Et tunc quaeritur: in hoc quod corpus Christi supplet vicem panis vel habet aliquam entitatem quam prius non habuit vel non? Si sic, vel illa est corpus Christi vel aliquid inexistens sibi; primum non potest dari, cum illam entitatem quae est corpus Christi prius habuerit, loquendo large de habere; si vero sit aliquid inexistens <sibi>, sequitur quod corpus Christi supplet vicem panis secundum illam entitatem, et non secundum propriam entitatem, nisi poneretur quod talis entitas esset pars corporis Christi; et tunc ex transsubstantiatione corpus Christi acquireret partem quam prius non habuit; et ita substantialiter mutaretur; quod non conceditur. Si vero omnem entitatem quam nunc habet, prius habuit, sequitur quod quam nunc supplet vicem panis tam prius supplebat; et si prius non supplebat, quod nec modo supplet; et ita sequitur quod non plus haberet per transsubstantiationem supplere vicem panis quam si talis transsubstantiatio non fieret; et per consequens ista transsubstantiatio nullo modo est intelligibilis; quare nec possibilis, cum omne possibile sit intelligibile; quare ab opposito praedicati ad oppositum subiecti concluditur propositum.

[38] Praeterea, in omni mutatione manet aliquid sub utroque termino motus; sed transsubstantiatio est mutatio, secundum positionem istam in sua quinta conclusione; ergo in transsubstantiatione manet aliquid sub utroque termino motus. Consequentia et minor patent. Maior probatur ex ratione mutationis: quoniam mutari est aliter se habere quam prius; sed ista condicio necessario praesupponit unitatem mobilis; ergo propositum. Sed tunc consequens illatum videtur falsum, quia ibi nihil manet sub utroque termino motus, quia non corpus Christi, cum ipsum non fuerit terminus a quo transsubstantiationis; nec panis, cum ipse non sit in termino ad quem; nec aliquid eius, aliter materia non transiret in materiam, quod est contra rationem transsubstantiationis, qua dicitur, secundum istam positionem, quod est rei totalis versio in aliam rem actualiter existentem; et per consequens ista non est mutatio; et ex alia parte est mutatio; quod est contradictio. — Quare et sua condicio implicat contradictionem, ut sic posset breuiter argui: transsubstantiatio est; ergo ipsa est mutatio; et ex eodem antecedente sequitur quod non est mutatio, cum nihil sit quod se habeat aliter quam prius; quare propositum.

[39: -34] **Ad istas rationes tres respondeo.** Ad primam, cuius virtus consistit in hoc quod panis non transsubstantiatur in corpus Christi, pro eo quod corpus Christi non aliter se habet ad illam transsubstantiationem quam faciat Sortes vel quodcumque aliud, quia aequē inmutabiliter se habet sicut prius, tam substantialiter quam etiam loqualiter, quantitative vel

alterative; [271rb] et hoc in casu ubi ponitur non acquirere novam praesentiam — hic dico duo. Primum: quod in qualibet mutatione physica aliquid manet sub utroque termino motus; et ideo in fine motus aliter se habet mobile quam prius, sicut patet discurrendo per singulas mutationis species. Ex quo apparet quod acquisitum a mobili in termino ad quem habet vel novam realitatem absolutam vel saltem novam relationem ad aliquam absolutam realitatem; quod dico propter motum localem, quia licet mobile non acquirat novam realitatem spatii, cum totum spatium praefuerit, tamen habet novum respectum ad partem spatii ultimo acquisitam; et propter hoc mobile aliter se habet quam prius. In aliis vero mutationibus est nova realitas acquisita, ut patet in augmentatione et alteratione, et similiter in generatione, ubi materia est sub forma noviter capiente esse.

[40] Secundum dictum est quod in transsubstantiatione terminus ad quem per se non arguit aliquam mutationem, nec accidentalem nec substantialem. Verumtamen ex mutatione termini a quo relinquitur in termino ad quem quaedam denominatio quam prius non habuit sine sui quacumque mutatione, sicut etiam patet in creatione, quoniam ex creatione provenit quod Deus dicitur ‘Creator’ sine quacumque sui mutatione; quae tamen denominatio prius sibi non conveniebat; sed hoc sibi competit per mutationem alterius. Ita et in proposito.

[41] Quoad hoc ulterius dico quod “aliter se habere aliquid quam prius” potest sumi tripliciter, videlicet denominative, quiditative et susceptive. Verbi gratia de primo, ut quando aliquid nunc recipit aliquam denominationem quam prius non habuit, ut cum dicimus quod Deus nunc est Creator, et prius non fuit; et iste modus potius connotat alietatem in alio quam in capiente novam denominationem. Similiter de secundo apparet quando res iam habet esse quod prius non habuit, vel non-esse quod prius habuit. Tertio modo dicitur aliquid aliter se habere quam prius susceptive, sicut patet in generatione, ubi materia aliter se habet quam prius per hoc quod sub alia entitate est quam prius fuerit.

[42] Ad propositum igitur applicando: cum dicitur quod “in instanti in quo est verum dicere ‘panis iam non est; et immediate ante hoc fuit’,” corpus Christi non aliter se habet quam prius; et similiter Sortes non aliter se habet quam prius; ergo non plus est transsubstantiatus panis in corpus Christi quam in Sortem — hic dico quod, sumendo ‘aliter se habere’ proprie, hoc est quiditative vel susceptive, consequentia nihil valet; et tamen antecedens est verum, sicut, signato Deo qui producat per creationem Sortem, et signata una alia intelligentia, et simus in instanti in quo est verum dicere ‘iam Sortes est; et immediate ante hoc non fuit’, ista consequentia non valet, sumendo proprie ‘aliter se habere’: ‘Deus non aliter se habet nunc quam prius, et similiter [271va] intelligentia data, ergo non plus Sortes est a Deo productus quam a tali intelligentia’; constat quod consequentia nihil valet; et tamen antecedens est verum. Et sic in proposito. Sed sumendo ‘aliter se habere’ primo modo et improprie, sic corpus Christi aliter se habet quam prius, quia in instanti non-esse panis est verum dicere quod est terminus conversionis alicuius in ipsum, et prius non fuit verum; quod non sic est de Sorte. Et per hoc apparet quod ista consequentia non valet: ‘si nulla transsubstantiatio esset facta, aequè corpus Christi se haberet sicut modo, ergo pro nunc nihil est transsubstantiatum in ipsum’, et hoc loquendo de ‘aliter se habere’ prout sumitur <in>proprie. Et tota ratio est quia in termino ad quem non requiritur aliqua mutatio, sed sufficit quod fiat in termino a quo; quare propositum.

[43: -37] Ad secundum, cum dicitur quod “in transsubstantiatione non videtur nisi quaedam suppletio existentiae alicuius rei post suum esse admissum,” et tunc “vel habet aliquam entitatem quam prius non habuit” — dico breviter quod corpus Christi sive terminus transsubstantiationis ut sic non acquisivit ex hoc aliquam entitatem quam prius non habuerit.

[44] Et cum dicitur quod tunc sequeretur quod non plus suppleret vicem panis quam prius, nego istam consequentiam; et ratio est quia ibi non dicitur ‘suppletio’ propter acquisitionem alicuius novae realitatis in termino ad quem, sed solummodo propter hoc quod aliquid transsubstantiatum est in realitatem termini ad quem. Si autem quis vellet vocare ‘suppletionem’ consimilium operum factionem, sicut cum dicimus quod Deus supplet vicem causae secundae cum producit effectum quem causa secunda debebat producere, sic absque dubio in transsubstantiatione formaliter non est talis suppletio; et ideo de suppletionem esset aequivocatio; propter quod hic non aliter est capienda ‘suppletio’ quam quod una res transivit in aliam; propter quem transitum res quae mansit dicitur alterius vicem supplere; quare propositum.

[45: -38] Ad tertium, cum dicitur quod “in omni mutatione aliquid manet sub utroque termino motus,” apparet per ea quae dicta sunt [\[16\]](#) quod istud non est verum, quia transsubstantiatio est mutatio in qua nihil manet sub utroque termino motus.

[46] Et cum probatur quod sic, pro eo quod in quolibet motu oportet quod aliquid aliter se habeat quam prius — hic dico quod hoc non oportet, loquendo de ‘aliter se habere’ proprie, sed sufficit quod aliquid nunc non taliter se habet sicut prius, sicut apparet in annihilatione, ubi nec Deus aliter se habet quam prius, nec annihilatum aliter se habet quam prius, quia ipsum non est; et tamen annihilatio est mutatio; sed ideo est mutatio, quia nunc non taliter se habet aliquid qualiter prius se habebat. Et ita est in proposito de transsubstantiatione quod panis non taliter se habet nunc qualiter prius se habebat, quia iam non est et immediate ante hoc fuit; et hoc sufficit ad rationem mutationis absque cuiuslibet extremi mutatione reali; quare intentum.

[47: -18] **Contra conclusionem septimam**, quae [271vb] ponit quod nihil potest converti in substantiam supersimplicis deitatis, arguitur primo sic: quaelibet condicio non ponens divinam naturam extra terminos deitatis est divinae naturae possibilis; sed divinam naturam esse terminum conversionis alicuius creaturae est condicio non ponens divinam naturam extra terminos deitatis; ergo huiusmodi condicio est divinae naturae possibilis. Consequentia et maior patent. Et minor probatur: quia omnis illa condicio est divinae naturae possibilis quae non ponit mutabilitatem, possibilitatem, sive limitationem, quia sunt contra Dei aeternitatem, actualitatem, et infinitatem; sed esse terminum conversionis nullum istorum ponit; ergo propositum. Probatur minor: quia sine quacumque mutatione vel possibilitate termini ad quem potest fieri transsubstantiatio, ut dictum est supra; [\[17\]](#) unde, si terminus ad quem sit finitus, possibilis, sive mutabilis, has condiciones non capit formaliter virtute transsubstantiationis; et ita apparet quod esse terminum transsubstantiationis non ponit deitatem extra terminos deitatis; quare per consequens et divinae naturae possibilis; quod est propositum.

[48] Praeterea, transsubstantiatio nihil aliud videtur quam alicuius rei suppletio sine quacumque suppletis uariatione intrinseca vel extrinseca, et per consequens non repugnat divinae essentiae talem suppletionem facere. Consequentia probatur: quia ex hoc concedimus quod divina essentia potest supplere vicem termini intellectionis et volitionis creatae, quia nec intellectio nec uolitio arguunt in Deo aliquam variationem; unde non dicimus quod Deus possit esse terminus alicuius calefactionis vel frigefactionis, pro eo quod huiusmodi condiciones arguunt mutabilitatem in termino; cum igitur transsubstantiatio nullam mutabilitatem arguat in termino ad quem, ut apparuit superius, [\[18\]](#) sequitur quod quam potest esse intellectionis terminus tam et transsubstantiationis; quod est propositum.

[49] Praeterea, si divinae essentiae repugnaret esse terminum transsubstantiationis, hoc maxime videretur propter suam infinitatem; sed istud non obviat; quare propositum. Consequentia et maior patent. Sed minor probatur: quoniam si Deus produceret unam intelligentiam infinitam, adhuc posset convertere panem in substantiam talis intelligentiae; non ergo videtur ratio infinitatis impeditiva. Similiter, non obstante finitate humane naturae, adhuc ratio suppositalis infinita terminat dependentiam eius; ergo similiter, non obstante finitate panis vel alicuius termini convertendi, divina essentia poterit esse terminus transsubstantiationis. Et similiter, non videtur ratio quare magis creatura in creaturam posset converti quam in deitatem, cum ibi non sit tanta similitudo quanta est inter divinam essentiam et creaturam ad convertendum; nam sicut dicit Philosophus, in II *De generatione*: {19} “In habentibus symbolum facilius est transitus”; nunc vero constat quod una gutta parvi vini facilius converteretur a magno vino quam una gutta aquae propter qualitatem symbolicam; [272ra] et igitur propter maiorem similitudinem deitatis ad quodlibet creatum facilius quodlibet creatum posset in deitatem converti quam unum in aliud.

[50] Et confirmatur ex parte activitatis: constat quod unum dolium vini facilius in suam substantiam convertet unam guttam aque quam faciet unus cippus; ergo ubi ista conversio in termino ad quem nullam ponit imperfectionem, non videtur quare unum creatum possit in aliud creatum converti, et non in substantiam deitatis, cum substantia deitatis sit magis attractiva; est enim pelagus infinitum, secundum Damascenum; {20} quare propositum.

[51: -47] **Ad istas rationes respondeo.** Ad primam, concessa maiore, nego minorem, videlicet quod esse terminum transsubstantiationis non est condicio ponens divinam essentiam extra terminos deitatis.

[52] Et cum dicitur quod non, pro eo quod nullam ponit mutabilitatem, dico quod, quamvis ratione illius condicionis quae est immutabilitas non repugnet divinae essentiae, tamen ratione alterius, quia transsubstantiatio ex ratione propria ponit utrumque terminum sub plena oboedientia alicuius agentis, et simul cum hoc terminorum convertibilitatem; nunc autem divinae essentiae repugnat esse sub alicuius agentis plena oboedientia; et similiter quod sit convertibilis in aliud, cum hoc denotet mutabilitatem; licet igitur transsubstantiatio formaliter non arguat in termino ad quem mutabilitatem actualem, bene tamen arguit mutabilitatem potentialem; quae deo repugnat; quare propositum.

[53: -48] Ad secundam, cuius virtus consistit in hoc: ex quo sibi non repugnat esse terminum intellectionis propter hoc quod non ponit in termino mutabilitatem, sequitur quod similiter non repugnabit sibi esse terminum transsubstantiationis — hic dico quod non est simile, pro eo quod intellectio formaliter non est actio, unde ex hoc quod me intelligo nec me destruo nec similiter construo; sed transsubstantiatio est realis actio; et ideo ponit substantiam unius rei transire in aliam; et ex hoc, licet non dicat actualem mutationem in suo termino ad quem, tamen bene ostendit terminum in quem aliud transivit esse mutabilem; non igitur est similitudo inter intellectionem et transsubstantiationem, quia in transsubstantiatione esse creatum efficeretur increatum, ubi creatura in deitatem transiret; quare non est simile.

[54: -49] Ad tertiam, cum dicitur quod, si aliquid impediret, maxime videretur infinitas, dico breviter quod infinitas non videtur formaliter impedire aliquid esse terminum istius conversionis, quoniam, sicut dictum est, {21} si Deus produceret unam intelligentiam infinitam, adhuc posset panem in ipsius substantiam convertere.

[55] Et cum dicitur de similitudine: quicquid sit de hoc, an Deus sit creaturae similior vel non, ad praesens non curo; tamen dico quod similitudo rerum ad invicem non est [272rb] ratio quod una potest esse terminus transsubstantiationis respectu alterius, cum ex nulla condicione creaturarum intrinseca hoc proveniat, nisi per hoc quod uterque terminus est sub plena agentis obedientia, et quantum ad suum esse totale et quantum ad suum non esse totale, ac per hoc sit inter terminos mutua convertibilitas; quod in proposito non est verum; et ideo parum valet allegare similitudinem symbolicam. Posset tamen dici quod ratio symbolica est similis in omnibus creaturis, videlicet obiectivalis potentia, quae non reperitur in divina substantia; et ideo adhuc ratione condicionis symbolice potest una creatura in aliam, et non in substantiam deitatis quovis modo transire.

[56] Et sic patet quid est ad rationes illas dicendum.

[57: -26] **Contra nonam conclusionem**, quae ponit quod de facto aliqua creatura corporea in aliam creaturam est transsubstantiata, quia panis in corpus Christi, arguitur primo sic: sicut in naturalibus non sunt plura sine necessitate ponenda, hoc est quae per rationem naturalem non convincuntur ponenda, ita in credibilibus non sunt ponenda plura quam convinci possit ex veritate creditorum; sed veritas eucharistiae salvari potest sine ista transsubstantiatione, nec auctoritas sacri canonis hoc convincit; ergo propositum. Consequentia patet. Et maior est Philosophi in pluribus locis {22} dicentis quod pluralitas est superflua ubi sufficit paucitas. Minor vero probatur: quia ad veritatem eucharistiae requiritur signum et signatum realiter sub signo contentum; sed substantia panis aequae et veracius cum suis accidentibus potest esse signum corporis Christi, quod sit in eodem loco cum pane; ergo ultra hoc ponere transsubstantiationem superfluitas magna videtur. Et quod ad hoc nos non convincat auctoritas Scripturae apparet Iohannis 6, {23} ubi fit ista disputatio, in qua nulla fit mentio de transsubstantiatione praedicta; quare propositum.

[58] Confirmatur ratio: quia in traditis nobis Scriptura universaliter non est determinandus ille modus qui difficilior est inter omnes et ad quem plura videntur inconvenientia sequi, et qui magis retrahit homines a fidei conversione; sed constat quod sacra Scriptura tradit nobis corpus Christi esse in eucharistia; et non aliter determinat; quod potest intelligi tripliciter, videlicet per puram Christi praesentiam cum pane, vel cum suis accidentibus tantum, vel per transsubstantiationem; sed inter omnes iste est difficilior; ergo non videtur quod iste sit capiendus, cum alius magis videatur rationabilis et salvat totum quod per textum Scripturae denuntiatur; quare propositum.

[59] Praeterea, in sacramentis veritatis nulla debet falsitas inveniri; sed constat quod accidentia panis sunt signum naturale substantiae panis; ergo in illo sacramento ita debet esse ut evitetur falsitas significationis. Consequentia ex hoc patet, quia aliter ibi esset significatio falsa. Quod sic probo: quoniam omnem apparentiam [272va] quam habet aliquis ante consecrationem ad iudicandum quod ibi est substantia panis, habet et post; ergo quam primo talia accidentia erant ibi signum naturale de substantia panis, tam et post consecrationem; ubi igitur panis substantia non esset, sequitur quod signa illa essent falsa; quod videtur inconveniens. Cum igitur possit salvari veritas signi naturaliter et sacramentaliter sine transsubstantiatione huiusmodi, sequitur quod sic dicere est magis veritati propinquum, et consonum rationi.

[60] Praeterea, in omni generatione substantiae praesupponitur substantia tanquam materiale principium, ut patet in generatione omnium naturaliter propagatorum; sed constat quod ex sacramento eucharistiae generatur vermis, qui est vera substantia, ut experientia docet; ergo

ibi est aliqua substantia ex qua generatur. Quaero igitur, quae est illa substantia? Non corporis Christi, cum illa non sit corruptibilis propter dotes assumptas; ergo aliqua alia; et non videtur rationabiliter ad aliquam aliam fugiendum nisi ad substantiam panis; ergo de facto adhuc experientia docet ibi esse substantiam panis. Vel aliter: omnis mundi experientia periret etiam, quia accidens non generat substantiam, et tamen in quolibet nutrimento fit transitus alimenti in naturam rei **alende (?)**; et experientia docet aliquos diu posse vivere cum sacramento eucharistie; et hoc non posset per accidentia sola esse; ergo ibi est aliqua substantia; nulla autem alia videtur quam substantia panis; quare propositum.

[61: -57] **Ad istas rationes respondeo.** Ad primam, concedo quod in creditis non sunt plura ponenda sine necessitate.

[62] Et cum dicitur in minori quod “veritas eucharistiae saluari potest sine transsubstantiatione,” ergo hoc ponere est superfluum — dico primo quod consequentia non valet, sicut non sequitur, ‘Deus potest producere calorem sine igne, ergo ignis est superfluum’; et ratio est quia, licet non sit necessitas absoluta, est tamen necessitas condicionis secundum ordinem quem Deus iam indidit rebus; sic dico in proposito quod, licet Deus potuisset fecisse quod substantia panis remansisset, non tamen sic fecit; et ideo secundum ordinem iam datum necesse est sic credere, licet aliter facere <Deus> potuisset.

[63] Et cum dicitur quod ad hoc nos non cogit auctoritas, dico quod falsum est; immo ad hoc est auctoritas Ecclesiae; de qua auctoritate loquitur Augustinus contra epistolam fundamenti Manichaeorum : “Non crederem,” inquit, “evangelio, nisi Ecclesiae crederem”; nunc autem, ut apparuit supra, [\[24\]](#) Ecclesia istud tenet quod panis sit transsubstantiatus in corpus Christi, ut patet *Extra, De summa Trinitate et fide Catholica*, capitulo “firmiter,” ubi dicitur: [\[25\]](#) “transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina”; quare propositum.

[64] Et si dicatur: unde hoc habuit Ecclesia, cum in sacra Scriptura non contineatur expresse? — dicitur quod ex Spiritus Sancti revelatione, [272vb] sicut etiam credimus de processione Spiritus Sancti a Filio, quoniam Spiritus Sanctus non permetteret Ecclesiam quovis modo errare, sicut et ipse Salvator dicit Petro quod non deficeret fides sua; quod non solum est intelligendum de defectu quoad tempus, sed etiam quoad veritatem ; quare propositum.

[65: -59] Ad secundam, cuius radix in hoc consistit quod sacramenta non debent esse signa falsitatis; quod tamen fieret si ibi non esset substantia panis — hic dico quod sacramentum est signum duobus modis, videlicet ut est quaedam species panis, et sic est signum naturale; secundo modo est signum sacramentaliter, prout fidelibus signat verum Christi corpus sub illis speciebus realiter contineri. Quantum ad secundam significationem, semper est signum veritatis, quia semper ibi Christi corpus post debitam consecrationis formam existit. Quantum vero ad primam significationem, dico quod dupliciter signat suum signatum: uno modo aptitudinaliter, alio modo actualiter. Primam significationem semper habet sibi annexam, sed secundam non oportet; et ideo non semper signat quod ibi panis substantia actualiter existat, sed bene aptitudinaliter. Sed intellectus capit suum errorem per quandam similitudinem, arguens quod sicut una vice signat panem actualiter existere, ita semper; quod non est verum.

[66] Et si dicatur quod numquam per illud signum deveniret in noticiam intellectus noster quod ibi sit substantia panis, absque dubio verum est; et ideo potius talium accidencium significatio est subiectum aptitudinaliter significare quam actualiter; et ut sic semper est signum veritatis; quare ratio non concludit.

[67: -60] Ad tertiam de generatione vermis, diversi diversa sentiunt. Quidam {26} dicunt quod Deus miraculose facit unam substantiam, ex qua vermis generatur. Quidam {27} vero dicunt quod redit substantia panis, et ex illa generatur vermis. Quidam {28} vero dicunt quod sicut accidentia illa supernaturaliter subsistunt, ita supernaturaliter agunt, et ideo possunt ex ipsis produci substantiae. Sed quicquid sit de istis opinionibus, potest dici rationabiliter quod in sacramento eucharistiae ex aere circumfuso acquiritur quaedam humiditas grossa, quasi aquea, quae concurrat materialiter, ex qua cum influentia caeli generali et accidentium ibi proximorum generatur vermis vel aliqua <alia> substantia. Sed quid de nutritione? Dicitur a multis {29} quod talis miraculose sustentaretur; quidam {30} vero dicunt quod, licet accidentia miraculose subsistant, tamen sine novo miraculo habent vim nutriendi, et non tantum calefaciendi vel sensum immutandi; unde isti concedunt quod ex illis accidentibus vere potest substantia generari per hoc quod in illis accidentibus est possibilitas ut transeant in materiam et formam substantialem. Alii {31} dicunt quod ex corruptione illorum accidentium generatur a deo una substantia, ex qua sumens accidentia nutrentur, et non ratione accidentium, sed [273ra] ratione substantiae noviter generatae. Et sic per diversas vias unusquisque satisfacere nititur argumento. Sic igitur apparet quod argumentum non cogit ad ponendum ibi substantiam panis; quare propositum.

<PARS TERTIA >

<De materia sacramenti Eucharistiae>

[1] Nunc tertio videndum est de tertio principali pro complemento istius articuli, videlicet de huius sacramenti materia. Pro quo exequendo, quia materia potius est positiva quam speculativa, ideo pro ipsius declaratione sex pono conclusiones positivas propositum declarantes.

[2] Quarum prima sit ista: panis triticeus cum aqua elementari coagulatus est materia debita in Eucharistiae sacramento.

[3] Ista conclusio sic probatur: illius speciei quodlibet individuum cadit sub materia huius sacramenti cuius aliquod individuum fuit materia ordinata in institutione istius sacramenti; sed speciei panis triticei cum aqua elementari coagulati aliquod individuum fuit materia ordinata in institutione huius sacramenti; ergo propositum. Consequentia patet et maior ex hoc quoniam sacramentum perenne requirit materiam perennem; sed unum individuum alicuius speciei secundum naturam propriam corruptibile non est perenne; ergo, cum natura individualis non sufficiat ad perennitatem, sufficit species prout complectitur quodlibet individuum sub ea contentum. Et minor apparet, quoniam Christus confecit in tali pane, ut apparet Matthaei 26<.26>, ubi dicitur quod “accepit Ihesus panem” etc. Et quod fuerit panis triticeus apparet per hoc quod se ipsum grano tritici comparavit <Io. 12.24>. Propterea et Magister, libro quarto, distinctione 11, capitulo 5, dicit quod non potest hoc sacramentum confici nisi de pane de frumento. Et idem habetur *De consecratione*, distinctione secunda, “In sacramento.” Quare propositum.

[4] Secunda conclusio est haec: sacramentum Eucharistiae ex fermentato et azymo potest de facto confici indistincte.

[5] Ista conclusio sic probatur: quodcumque aliquid est commune aliquibus, quicquid de ipso dicitur, consimiliter etiam dicitur de quolibet sub eo contento; sed panis triticeus cum aqua elementari coagulatus est superius tam ad panem azymum quam etiam ad fermentatum; ergo quicquid de pane triticeo cum aqua elementari coagulato dicitur, dicitur etiam de pane et azymo et fermentato. Cum igitur esse materiam debitam in sacramento Eucharistiae dicatur de pane triticeo cum aqua elementari coagulato, et hoc prout sumitur communiter et non prout contrahitur ad aliquid singulare, sequitur quod esse debitam materiam huius sacramenti est superius ad panem azymum et fermentatum. Et ita per consequens indistincte potest confici de utroque; quare propositum.

[6] Praeterea, Ecclesia numquam fuit in errore; sed in primitiva Ecclesia sacramentum illud celebrabatur in fermentato, hoc autem Ecclesia non fecisset nisi potuisset sacramentum istud confici in fermentato; ergo potest confici in fermentato. Consequentia patet [273rb], et minor apparet per historias quibus dicitur quod tempore Leonis papae hoc sacramentum celebrabatur in fermentato, et nunc similiter celebratur in Ecclesia Graecorum, quorum consuetudinem non damnat Ecclesia. Quare propositum.

[7] Quod etiam celebretur in azymo apparet ex consuetudine Latinorum, qui hoc sacramentum in azymo conficiunt. Quare indistincte hoc sacramentum potest confici ex azymo et fermentato.

[8] Et confirmatur per Beatum Gregorium in registro, ubi dicit: [11](#) “Romana Ecclesia offert azymos panes propterea quod Dominus sine ulla commixtione carnem suscepit, sed ceterae ecclesiae offerunt fermentatum pro eo quod Verbum Patris indutum est carne et est verus Deus et verus homo, sicut et fermentum commiscetur farinae.” Haec ille. Quare propositum.

[9] Tertia conclusio est haec: sacramentum Eucharistiae in azymis celebratum extitit ab humani generis Redemptore.

[10] Ista conclusio sic probatur: Christus hoc sacramentum instituit et confecit in Paschate Iudaeorum; sed illo tempore, secundum legem, Iudaei non utebantur nisi azymis; ergo Christus hoc sacramentum in azymis noscitur confecisse. Consequentia patet, et maior habetur in tribus evangelistis. Unde Matthaei 26<.17> dicitur: “Prima die azymorum accesserunt discipuli ad Ihesum, dicentes ‘ubi vis paremus tibi comedere Pascha?’” Et sequitur <26.19>: “Et paraverunt Pascha.” Similiter, Marci 14<.12> dicitur: “Die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli, ‘Quo vis eamus et paremus tibi ut manduces Pascha?’” Et post sequitur <14.16>: “Et paraverunt Pascha.” Similiter, Lucae 22<.7> dicitur: “Venit dies azymorum in qua necesse erat occidi Pascha.” Et sequitur <22.13>: “Et paraverunt Pascha.” Sic igitur apparet maior, quod Christus videlicet confecit tempore Paschatis Iudaeorum. Sed quod pro tunc non haberent nisi azyma, secundum legem, apparet Exodi 12<.15>, ubi dicitur: “In die primo azymorum non erit fermentatum in domibus vestris.” Quare propositum.

[11] Praeterea, Christus non venit solvere legem, sed adimplere. Unde et ceremonias legis servavit, ut patet in circumcisione, oblatione ad templum, et aliis multis. Nunc autem praeceptum erat in lege ut quis tali die non uteretur fermentato, ut apparet Exodi 12, et

similiter Deuteronomii 16, ubi dicitur quod comederetur Pascha cum azymis. Ergo cum Christus transgressor legis non fuerit, <sequitur> quod ipsa die azymorum servavit praeceptum. Et tunc confecit istud sacramentum. Ergo apparet manifeste quod Christus hoc sacramentum in azymis celebravit, quod est propositum.

[12] Quarta conclusio est haec: congruentius in azymo quam in fermentato debet sacramentum istud Viaticum a sacerdotibus celebrari.

[13] Ista conclusio sic probatur: ille modus est isti sacramento [273va] congruentior quem tenuit primus hoc instituens sacramentum; sed modum conficiendi in azymis tenuit huius sacramenti institutor; ergo propositum. Consequentia patet, et minor per praecedentem conclusionem. Et maior apparet, quia in traditis per viam imitationis sequenda est forma instituentis, sicut et Salvator dicit <Io. 13.15>: “Exemplum enim dedi vobis ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.” Quare propositum.

[14] Praeterea, ille modus est convenientior qui est moralior et magis exprimens Christi condicionem; sed celebratio in azymis est huiusmodi; ergo propositum. Consequentia et maior patent, et minor apparet, <quia> [quod] sit moralior propter sui munditiam et modum faciendi, quod autem Christum perfectius significet, quia Christus fuit agnus innocens et immaculatus, absque originali <peccato> conceptus. Ergo cum azymum signat puritatem, fermentatum vero non sic, sequitur quod perfectius Christum signat panis azymus quam faciat fermentatus. Propterea et Apostolus ad Corinthios 5<.8> dicebat: “Non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis et veritatis.” Ex quo sequitur quod moralius et magis significativum est in azymis quam in fermentato celebrare. Quare propositum.

[15] Quinta conclusio est haec: in Eucharistiae sacramento vinum ex uvis expressum est ad suae integritatem materiae requisitum.

[16] Ista conclusio sic probatur: illud est ad integritatem huius sacramenti requisitum quod extitit a Christo ordinatum pro huius sacramenti integritate; sed Christus vinum ex uvis expressum ordinavit pro huius sacramenti integritate; ergo propositum. Consequentia et maior patent. Et minor apparet Matthaei 26<.29>, ubi Salvator dicebat discipulis: “Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum cum illud vobiscum bibam novum in regno Patris mei.” Et Lucae 22<.18>: “Non bibam de generatione vitis huius donec veniat regnum Dei.” Unde et Iohannis 15<.1, 5> se comparat viti dicens: “Ego sum vitis vera” et “vos palmites.” Nunc autem constat quod de vino quod bibit cum apostolis confecit calicem, cum dixit <Mt 26.27-28>: “Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus.” Illud autem fuit vinum ex uvis expressum; ergo propositum.

[17] Praeterea, aut vinum quod Christus confecit fuit praecise ad materiam huius sacramenti requisitum aut quodlibet eiusdem speciei. Non primo modo, quia tunc Christus obligasset homines ad impossibile cum dicit <Lc 22.19>: “Hoc facite in meam commemorationem,” quoniam homines illud vinum numquam possent habere. Ergo sequitur quod obligatio tantum mansit in vino eiusdem speciei per similem modum. Sed illud fuit vinum ex uvis expressum; ergo et nunc ad integritatem materiae sacramenti Eucharistiae requiritur vinum [273vb] ex uvis expressum, quod est propositum.

[18] Sexta conclusio et finalis est ista: sub duarum rerum speciebus dumtaxat sacramentum istud quo ad integritatem suae materiae plenarie continetur.

[19] Ista conclusio sic probatur: in illis duabus rebus hoc sacramentum tantum consistit quae fuerunt a Christo institutae et etiam expresse praefiguratae; sed panis triticeus et vinum ex uvis expressum sunt huiusmodi; ergo propositum. Consequentia et maior patent, et minor apparet Matthaei 26, ubi continetur modus institutionis huius sacramenti et similiter materia. Et ibi non ponuntur nisi duae res, quod non est credendum si plus fuissent requisitae, cum Christus in tradendo nobis fidei sacramenta non fuerit deminutus. Quare sequitur quod sub duarum rerum speciebus sacramentum huiusmodi tantummodo continetur, quod est propositum. Quod etiam fuerit expresse figuratum apparet Genesis 14<.18>, capitulo de Melchisedech, qui panem et vinum optulit, ubi dicitur: “At vero Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi” etc. Sic igitur apparet tam ex institutione quam etiam exfiguratione quod istud sacramentum sub duarum rerum speciebus tantummodo et integraliter continetur, quod est propositum.

[20] Ex quibus conclusionibus sequuntur multae propositiones correlariae dubiorum plurium exclusivae. Prima propositio sequens est quod panis ex alia materia quam de frumento factus non est de materia istius sacramenti. Et per hoc apparet quod nec de hordeo nec spelta, avena, lente, vel faba, milio vel pisis et sic de aliis leguminum speciebus potest confici hoc sacramentum.

[21] Secunda propositio: panis triticeus non de aqua elementari coagulatus non est de materia huius sacramenti. Ex quo apparet quod farina coagulata lacte vel musto vel aliis liquoribus non reddit debitam materiam pro isto sacramento.

[22] Tertia propositio: quod liquor non servans speciem vini sub condicione potabili non concurrat ad materiam huius sacramenti. Ex quo apparet quod nec acetum nec agresta nec uva sunt materia huius sacramenti. De aceto et agresta manifestum est, cum non sint eiusdem speciei cum vino, quia quodlibet illorum a tota specie est frigidum, sed vinum a tota specie calidum est. De uva apparet, quia illa non sumitur sub condicione potabili, sed potius cibabili. Quare propositum.

<Opinio Graecorum contra Latinos>

[23] Sed contra conclusionem tertiam est Graecorum opinio, dicens quod Christus sacramentum Eucharistiae in fermentato confecit, qui pro sua opinione et nostrae conclusionis infirmatione adducunt aliquas textuales apparentias quas breviter adducam et solvam pro fine huius materiae positivae.

[24] Arguunt enim primo sic: Iohannis 13<.1> scribitur: “Ante diem festum Paschae sciens Ihesus quia venit hora eius.” Et post <13.1>: “Cena facta cum diabolus misisset in corde Iudae,” etc. Ex hoc apparet quod cena fuit facta ante Pascha [273vb] Iudaeorum; sed pro tunc non erat azyma sed fermentata; ergo videtur quod Christus in cena illa consecraverit et instituerit hoc sacramentum in fermentato et non in azymo, quia dies Paschae fuit luna 14, ante quam Christus confecit. Quare propositum.

[25] Praeterea, Iohannis 18<.28> dicitur quod Iudaei “non introierunt in praetorium ne contaminarentur sed manducarent Pascha”; sed hoc fuit dies passionis; ergo in die passionis comederunt Pascha. Sed dies cenae praecessit diem passionis; ergo videtur quod ante Pascha Christus confecit, et per consequens non in azymo, sed in fermentato. Quare propositum.

[26] Praeterea, nulli licebat tempore legis operari in Paschate, quia erat dies festivus; sed mulieres paraverunt aromata ut ungerent Ihesum, et apparet Lucae 23<.55-56>; ergo pro tunc non erat Pascha. Et per consequens, cum cena praecessisset passionem, sequitur quod in fermentato Christus confecit. Quare propositum.

[27] Praeterea, Matthaei 26<.5> habetur quod sacerdotum principes “dicebant, ‘Non in die festo ne forte tumultus fieret in populo’,” et loquebantur de captione sua, ergo videtur quod ante fuerit captus quam Pascha celebraretur; sed captionem praecessit cena; ergo sequitur quod non confecit in tempore azymorum, sed ante, quod est propositum ipsorum, quia tunc in fermentato.

[28] Praeterea, adveniente veritate cessat figura, ergo adveniente Christo, qui erat Veritas, cessaverunt Iudaeorum ceremoniae, quae erant figurae. Cum igitur azymus panis fuit figura veri panis, sequitur quod Christo veniente nulli erat licitum amplius uti azymis illis. Cum igitur Christus, cum non fuerit transgressor alicuius debiti nec perpetrator alicuius illiciti, sequitur quod non servavit ceremoniam azymorum. Et per consequens confecit in fermentato, quod est propositum.

[29] Praeterea, tempore Leonis papae fuit praeceptum ut tota Ecclesia conficeret in fermentato propter errorem Ebionitarum qui “legis ceremonias evangelio miscuerunt. Et propter hoc a patribus anathematizati sunt,” ut dicit Hieronymus in *Epistola* <112, c. 4, n. 13>, ad Augustinum de tribus quaestionibus. Ergo cum similis causa nunc multos potest scandalizare qui possunt putare nos Iudaizare quia conficimus in azymis, sequitur quod servandus erat ritus quem tenet Ecclesia primitiva, videlicet in fermentato conficere.

[30] Sic igitur apparet, tam ex auctoritate, quam ex figurae cessatione, tam etiam ex scandalii amotione, quod in fermentato conficiendum est, quia Christus sic fecit, ut auctoritates ostendunt. Cuius imitatio est a cunctis fidelibus amplectenda.

<Responsio ad rationes Graecorum>

[31: -24] Ad ista respondeo. Pro quorum declaratione est advertendum quod festum azymorum septem diebus celebrabatur, inter quos dies prima erat sancta atque sollemnis praecipue inter alias, et hoc erat 15 die mensis primi [274rb], videlicet Martii. Sed quia apud Iudaeos sollemnitates incipiebant a praecedenti vespere, ideo 14 die ad vesperum incipiebant comedere azyma, et comedebant per septem dies sequentes. Propterea dicitur Exodi 12<.18-19>: “Primo mense et 14 die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem 21 eiusdem mensis ad vesperam, septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris,” et eadem 14 die ad vesperam immolabitur agnus paschalis. Ut igitur videatur inter evangelistas concordia, advertendum est quod primam diem azymorum tres evangelistae, videlicet Matthaeus, Marcus, et Lucas, ut superius adducti, capiunt pro 14 die mensis in qua ad vesperam comedebantur azyma et immolabatur agnus paschalis. Et hoc erat secundum Iohannes ante diem festum Paschae, id est ante 15 diem, qui inter omnes sollemnior erat. Et ex hoc apparet quod nulla discordia est inter evangelistas. Ac per hoc apparet solutio primae rationis, quae fundabatur in auctoritate Iohannis.

[32: -25] Et pro pleniori huius materiae declaratione advertendum est secundum Innocentium, *De officio missae*, parte tertia, capitulo 4, quod Pascha quinque modis accipitur: uno modo pro solemnitate die azymorum, quae erat 15 luna sive die – non curo, quia auctores de luna et die indistincte loquuntur. Secundo modo pro panibus azymis. Tertio modo pro die in cuius vespera immolabatur agnus, sicut dicitur Lucae 22<.1>: “Appropinquabat dies festus azymorum, qui dicitur Pascha.” Quarto modo sumitur pro agno qui immolabatur, sicut apparet Lucae capitulo praefato <22.7>: “Venit dies azymorum in qua necesse erat occidi Pascha.” Quinto modo sumitur pro hora immolationis agni, sicut apparet Matthaei 26<.2>: “Scitis quia post biduum Pascha fiet.” Et secundum istam distinctionem apparet quod varie praedictae auctoritates sumunt Pascha, nam auctoritas Iohannis 13 sumit pro 15 die ante diem festum Paschae. Auctoritas Iohannis 18<.28> sumit secundo modo, videlicet pro panibus azymis, id est “non introierunt in praetorium ne contaminarentur, sed manducarent azymos panes.” Sed ex hoc non sequitur quod Christus fuerit captus ante festum azymorum.

[33: -26] Ad tertiam auctoritatem de mulieribus, quod emerunt aromata, quod non erat eis licitum, dicendum quod illae mulieres, quia audiverant Christum moriturum, aromata ante praeparaverunt, ut patet per illud quod dicitur Matthaei 26<.12> de Magdalena: “Mittens enim haec unguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit.” Et Iohannis 12<.7>: “Sinite illam ut in diem sepulturae meae servet illud.” Post Christi autem crucifixionem, unguentum quod prius inceperat consummavit. [274va] Et sic intelligendum est quod dicit Lucas <23.56>, quod “revertentes paraverunt aromata et unguenta.” Nec sic consummando peccaverunt, quia non erant sub littera, sed sub gratia, quia iam legalia cessaverunt esse sub praecepto.

[34: -27] Ad quartam, cum dicitur quod principes sacerdotum dicebant, “Non in die festo,” dico quod, licet principes sacerdotum disposuerint hoc facere ante festum, tamen non habita opportunitate fecerunt contrarium – et hoc divina dispositione mirabiliter operante, ut veritas responderet figurae, quia 15 luna primi mensis eduxerat populum Iudaeorum de Egypto, et eadem die mors Christi eduxit populum suum de tenebris peccati. Propter hoc dicit Innocentius: “Porro dispositio sacerdotum dispositioni Dei praevalere non potuit qui disposerat ut verus agnus in diebus paschalibus immolaretur.”

[35: -28] Ad quintam, cum dicitur quod Christus non debuit servare ceremonias, apparet quod sic propter hos quos salvare venerat, non propter necessitatem, sicut servavit circumcisionem et alia. Unde ratio ita bene concluderet quod Christus non fuit circumcisis sicut quod non confecit in azymis, quod tamen falsum est. Quare ratio nulla.

[36: -29] Ad ultimum, cum dicitur quod nos Iudaizamus, hic dico quod falsum est, quia Iudaizare non solum consistit in similitudine actus, sed etiam in simili intentione, sicut ille qui circumdit praeputium suum propter infirmitatem non Iudaizat, quia non facit intentione servandi legem, sed expellendi infirmitatem. Et sic est in proposito.

[37] Sic igitur apparet quae sit forma Eucharistiae, ipsius efficacia, et eius materia. Et in hoc ille primus articulus terminatur.